Google

Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

Digitized by Google

~~1665~~

EEK GENT

Digitized by Google

B 1103 XXII 7

8002

Digitized by Google

Digitized by Google

ROSETUM JESU-MARIANUM

SIVE

EXERCITATIO THEOLOGICARUM

AC

Præcipuarum aliarum Virtutum

CIRCA

Quindecim Myſteria Redemptionis humanæ

PER

JESUM,


Mariæ Roſariô comprehenſa.

Auctore F. THOMA DUJARDIN
Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ in Univerſitate Lovanienſi Doctore ſeniore, & quondam per Germaniam inferiorem ejuſdem Ordinis Provinciali.

BIBLIOTHECA FRATR. PRÆDICAT. GANDÆ

GANDAVI,
Ex Typographia *Ioannis Eton*, ſub viridi Cruce, 1725.

Digitized by Google



EMIN
AC RE
D.F.AU
Religioſæ
prudenti
Ex totiu
MAC
BEN
P
Eunde
feſſi
Car
um
(1)
In Br
dinis
ſores
vem

EMINENTISSIMO,
AC REVERENDISSIMO
DOMINO
D. F. AUGUSTINO PIPIA

Religioſæ vitæ exemplis, ac Doctrinâ, prudentiâque commendatiſſimo (1)
Ex totius Ordinis Prædicatorum
MAGISTRO GENERALI
PER
BENEDICTUM
PAPAM XIII.

Eundem Ordinem expreſsè Profeſſum, S. Romanæ Eccleſiæ *Cardinali*, & Epiſcopô AUXumenſi creato,

(1) BENEDICTUS XIII. In Brevi ad Univerſos Ordinis Prædicatorum Profeſſores anno 1724. 6. Novembris.

Hoc Roſetum JESU-MARIANUM, ſuaque omnia offert, ac dicat demiſſiſſimus, & obedientiſſimus Servus Fr. Thomas Dujardin, *Ordinis Prædicatorum.*

Digitized by Google

PRÆFATIUNCULA, AD PIUM LECTOREM.

ADmoneo Te (Pie Lector) & quàm poſſum maximè obſecro, ut opuſculum hoc, ſpiritû orationis, & internô animi guſtû evolvere ſatagas, actus Theologicarum, aliarumque virtutum, eâ quâ hìc proponuntur methodô, fervidè eliciendô.

Eum in finem, lectioni te accingens, ante omnia divinam Majeſtatem fidê tibi præſentem intuêre, ab eaque gratiam, ad virtutes illas Chriſtianè, ac meritoriè exercendas unicè neceſſariam, ſuppliciter expoſtula.

Aliis quoque temporibus, præcipuè manè, & veſperi, & dum quotidiè incruentum *Miſſæ* Sacrificium Deo O. M. unà cum Sacerdote ſacrificante offeres, magnô ipſum fervore orare memento, ut, ſi quæ harum virtutum tibi deſunt, eas à divina Majeſtate conſequi, in iiſdem creſcere, & uſque in finem perſeverare valeas.

Hôc nimirum pactô, cæleſtis gloriæ remunerationem, virtutibus, potiſſimùm *Charitati*, in Evangeliô à *Chriſto* Dominô promiſſam, certò certiùs obtinebis. Ità toto cordis affectu vóveo: tuiſque apud Deum precibus me enixè commendo.

Digitized by Google

EXERCITATIO FIDEI,

Primæ virtutis Theologicæ CIRCA V. MYSTERIA GAUDIOSA Roſary MARIANI.

I. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *ab Angelo* GABRIELE *Virgini* MARIÆ *Annuntiatus.*

O Sanctiſſima Trinitas, unus Deus; æterna & infallibilis veritas! Firmâ fide credo quidquid a te revelatum eſt, & uti tale per ſponſam tuam, Matrem noſtram Eccleſiam credendum proponitur, ſive ſcriptum ſit, ſive non.

Ad primum *Myſterium* gaudioſum quod attinet, ô JESU! credo te naturalem, & unicum æterni Patris Filium (unum cum

Digitized by Google

ipſo, & Spiritu ſanctô Deum) Archangelo *Gabriele* nuntiante, ex *Maria* Virgine, ſola Spiritus ſancti operatione, humanam naturam aſſumpſiſſe, ut mortales omnes (quantum in te eſt) ab æternâ damnatione liberatos, divinitatis tuæ participes efficeres.

Da mihi (obſecro) ô Salvator! mille potius mortes oppetere, quam vel hunc, vel quemvis alium fidei articulum in dubium revocare, quia Tu, ſuprema veritas, fallere, & falli neſcia, nullum non revelaſti.

II. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

ELIZABETH *a* MARIA *Viſitata.*

O JESU! Firmâ fide credo, B. V. *Mariam*, te æternum cæleſtis Patris verbum, utero virginali geſtantem, *abyſſe in Montana cum feſtinatione in civitatem Juda*, ad cognatam ſuam *Elizabeth* viſitandam, non tempus inutilibus confabulationibus terendi, ſed proximum in anima, & corpore juvandi ergò. Nam mox ad ingreſſum *Mariæ* in domum *Elizabeth*, ejuſque ſalutationem, exultat *Joannes* præ gaudio in utero Matris ſuæ, à peccato originali mundatus; ipſa *Elizabeth* Spiritu Sancto impletur, totaque *Zachariæ* familia cæleſti benedictione ditatur.

Non

Non dedigneris, ô *Maria*, Domini mei Mater! unà cum Filio tuô me ſpirituali ſæpius viſitatione honorare, diviniſque tua interceſſione ditare favoribus.

III. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in ſtabulo* BETHLEEMITICO *natus*.

O JESU! Firmâ fide credo, B. Virginem *Mariam* (poſtquam novem uterô virginali menſibus te portarat) in ſtabulo *Bethleemitico*, virginitatis flore penitus illæsô, te peperiſſe, adeo ut duplex tibi conveniat nativitas, altera æterna ex Patre, ſecundùm quam *Deus* es, ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus; altera temporánea ex Matre, ſecundùm quam *homo* es ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus.

Credo inſuper ſacrâ partus Virgininei nocte! *Angelum Domini deſcendiſſe de Cælo, & cum illo multitudinem militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

O utinam (miſericordiſſime Salvator!) immenſum Nativitatis Tuæ ex Virgine beneficium pergratô recolens animô, tuis numquam ceſſem à laudibus!

Digitized by Google

IV. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in Templo oblatus.*

O JESU! firmâ fide credo, *Mariam* Matrem tuam, (Angelis puriorem, legi purificationis parientium minimè obnoxiam) poſt 40 dierum a partu Virgineô intervallum, ſeſe ad Templum contuliſſe *Hieroſolymitanum*, ut eximiam puritatem; dignitatemque, immundæ, & exîlis Mulieris ſpecie occultans, te infantem ſuum divinum Patri cæleſti offerret.

Nullus ambigo [ò dulciſſime Redemptor!] quin tu quoque [jam inde a primo conceptionis tuæ momentô perfecto rationis uſu potitus] te ipſe Patri tuo cæleſti pro totius mundi ſalute in Templo obtuleris.

O quàm mihi in votis eſt, nulla ut eluceſcat dies, quâ primogenita cordis mei, primas cogitationes, & affectiones Majeſtati tuæ, piâ mente non offeram!

V. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *inter Doctores in Templo repertus.*

O JESU! firmâ fide credo, *Mariam* genitricem tuam, & *Joſephum* Pa-

Digitized by Google

trem tuum nutritium, peractâ feſtivitate *Paſchali*, *Hieroſolymis* in *Nazareth* redeuntes te 12. annis natum, abſque culpâ ſuâ perdidiſſe, & triduô magno cum dolore quæſitum, tandem in Templo *Hieroſolymitano* ingenti cum gaudiô inveniſſe *ſedentem in medio Doctorum*, *audientem illos*, *& interrogantem eos.*

Parentes tui [O puer divine!] ſolùm præſentiam tuam corpoream amiſerant, idq̄. abſque ſua culpa: ſed ego (prô dolor!) præſentiam tuam ſpiritualem, gratiamque maximâ meâ culpâ amiſi! illi te amiſſum ſine mora requirebant: Et ego, Eheu! hebdomadarum, menſium, annorum moras traxi, priuſquam tè, gratiamque tuam amiſſam ſincerâ pœnitentiâ requirerem.

Certus tamen ſum, & firma fide credo, quod ſimulatque de peccatis meis ex amore ſaltem initiali tui, tamquam fontis omnis juſtitiæ dolens, eaque Sacerdoti pandens in Templo te quæſivero, beneficiô abſolutionis *Sacramentalis* te, tuamque gratiam denuò ſim reperturus.

O utinam (dilectiſſime JESU!) te ita repertum, nullô deindeps peccatô amittam!

Digitized by Google

EXERCITATIO FIDEI,

Primæ virtutis Theologicæ CIRCA V. MYSTERIA DOLOROSA.

I. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *in horto Olyvarum contriſtatus, & Sanguinem ſudans.*

O JESU! Circa 5. *Myſteria* doloroſa in generali, firmâ ſide credo, te fide-juſſorem noſtrum, ac Mediatorem apud Patrem tuum cæleſtem acutiſſimos, pro redemptione noſtra, dolores, præſertim ſub finem vitæ, perpeſſum, nec non maximâ ignominiâ, ludibriis, & infamiâ affectum eſſe.

Et quantùm ad primum *Myſterium* doloroſum in particulari, credo te pridiè mortis tuæ in horto *Olyvarum*, amore, tum ergà Patrem, tum ergà nos, adeò te triſtitiæ permiſiſſe, mærorique habenas laxaſſe, ut *anima tua triſtis fuerit uſque ad mortem*, factuſque ſit ſudor tuus ſicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram.

Inſuper

Digitized by Google

Inſuper credo, ad ſignum proditorii oſculi, accepti a *Judâ*, quem amici nomine compellans, etiam tunc, ô miſericordiſſime Jesu! in gratiam recipere & ſalvare paratus eras (niſi impius obſtitiſſet) te duriſſimis, ceù inſignem malefactorem, nexibus a ferâ militum catervâ vinctum, *Hierozolymam* ignominioſiſſimè fuiſſe abductum.

Ah! Oro te (mi Jesu!) ut infernalibus peccatorum meorum diſruptis nexibus, cæleſti vivæ Fidei, per dilectionem operantis, vinculô, numquam rumpendô, me tibi adſtringas quàm arctiſſimè.

II. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *a Pilati militibus flagellatus.*

O Jesu! firmâ fide credo, te (ipſam innocentiam) a *Judæis* falsò apud *Romanum* Præſidem *Pilatum* accuſatum, ab eôque injuſtiſſimè militibus ad flagellandum traditum eſſe.

Porrô immanem admodùm, & cruentam hanc flagellationem extitiſſe, tu ipſe, mi Jesu! haud obſcurè prædixiſti *Sp.* 34 *v.* 15. *Congregata ſunt ſuper me flagella:* & Sp. 72. v. 14 *Fui flagellatus tota die*: id eſt, ſævis flagellis temporis ſpatiô non adeô prolixô tanta è venis meis extracta eſt Sanguinis copia, acſi per diem integrum flagellatus fuiſſem. Sit

Digitized by Google

Sit mihi, quæſo, miſericordiſſime Salvator! ſanguis tuus, diriſſima flagellatione copioſiſſimè effuſus, pro balneo ſalutari, quô a peccatorum ſordibus plenè expurgetur anima mea!

III. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *Spinis coronatus.*

O JESU! Firmâ fide credo, poſt crudeliſſimam innocentiſſimi corporis tui flagellationem, benedicta tempora tua ab immanibus lictoribus coronâ è ſpinis contextâ fuiſſe redimîta.

Eheu! amantiſſime Redemptor! Carnifices, Tygride ferociores, coronam illam ſpineam [qua te veluti Regem Theatralem per ludibrium coronant] armatâ manû, & baculô arundineô adeò profundè Sanctiſſimo tuo Capiti imprimunt, ut ſenticoſis ſpinarum aculeis pellis, caro, nervi transfigantur.

O Dulciſſime JESU! dum tam acerba, atque probroſa, amore mei, invictâ patientiâ ſuſtines, te verum cæli, terræque Dominatorem profiteor: atque utinam ardenti dilectione te veluti cordis mei Regem, Amicum, & ſponſum ſemper complectar!

IV.

Digitized by Google

IV. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Crucem bajulans.*

O Jesu! Firmâ fide credo, te ab iniquiſſimo judice *Pilato* neci crucis adjudicatum, pondus crucis ſuper humeros tuos, fuſi Sanguinis copiâ fermè inanimes, appoſitum, per plateas civitatis *Hieruſalem*, inter confluentis multitudinis tumultuoſos clamores, ad montem *Calvariæ* pro æterna omnium hominum ſalute moriturum geſtaſſe.

Haud ſiccis oculis, ô amabiliſſime Jesu! intuêri te valeo, ponderoſâ crucis trabe, ſed magis peccatorum meorum ſarcina prægravatum, alacri quidem mente, ſed incurvo corpore, genibus tremulis, & debili greſſu incedentem, ac tandem graviſſimo oneri ſuccumbentem, adeò ut *Symonis Cyrinei*, ad crucem tuâm portandam auxiliô opus fuerit.

Dona mihi, obſecro, ô Salvator! gratiam tuam, quâ peccatorum meorum onere liberatus, quaſvis hujus vitæ cruces, amore tui, patienter, quin & gaudenter feram.

V. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *In cruce mortuus.*

O Jesu! Firmâ fide credo, te verum Deum & hominem in monte *Calva-*

Digitized by Google

riæ, diris clavis nudum cruci affixum fuiſſe, & inter duos latrones è cruce pendentem (in manus Patris cæleſtis commendatô Spiritu) inclinatô capite, exſpiraſſe; ut nimirum dilectionem commendares erga nos tuam, in ætate juvenili (quando ſtatu perfectiſſimô, & florentiſſimô vigebas) vitam pro nobis tradendô.

Ultima tibi, ô Jesu! In cruce morienti vox fuit: *Conſummatum eſt*: quaſi diceres: quidquid juxta Prophetias, me, ex voluntate *Patris*, agere, & pati oportebat, egi, & paſſus ſum.

O utinam mihi morienti, tecum, ô Salvator! dicere liceat: *Conſummatum eſt*: hoc eſt: quidquid a me pro ſtatus & conditionis meæ debitô exegiſti, tuâ gratiâ fideliter adimplevi: idcirco lætus tibi creatori reddo animam meam, de æterna vitâ, mortis tuæ meritô infinitô, adipiſcendâ optimè confidens.

EXERCITATIO FIDEI,

Primæ virtutis Theologicæ CIRCA V. Myſteria Glorioſa.

I. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Jesus *à morte reſurgens*.

O Jesu! Firmâ fide credo, te tertiâ die à morte reſurrexiſſe, atque hu-

Digitized by Google

jus 1. Myſterii glorioſi ſeriem hanc eſſe. Anima tua per mortem in cruce a corpore ſeparata, ſed manens divinitati unita, mox ad Patres in lymbum deſcendit, eos beatificâ donans viſione; corpus verò, etiam divinitati conjunctum manens, *a Joſeph ab Arimathea*, ſyndone involutum, poſitum fuit *in monumento de petra exciſo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.*

Porro anima tua, ab ipſo Conceptionis tuæ in utero Virginis exordio [ob *hypoſtaticam* cum divinâ naturâ unionem] cæleſti gloriâ prædita, in Aurora diei Dominicæ, Corpus, quod die veneris ſancto dimiſerat, virtute divinitatis ſibi unitæ reaſſumptum, vitæ reſtituit, eique quatuor glorioſi corporis dotes contulit, nempe ſubtilitatem, agilitatem, claritatem, & impaſſibilitatem: atque ità, corpore tuo hiſce dotibus exornatô lapidem ſepulchralem pervadente, glorioſè, ô mi Salvator! a morte ſurrexiſti, completiſſimum de hoſtibus triumphum reportans.

Largire, oro te, ô mi JESU! ut fidem meam bonis operibus comprobando, glorioſæ tuæ reſurrectionis aliquandò conſors fieri merear.

Digitized by Google

II. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Jesus *In Cælum aſcendens.*

O Jesu! Firmâ fide credo, te elapſô 40. dierum intervallô [quô redivivus ad Apoſtolorum ſolatium, & inſtructionem in terra remanſeras, edocens eos *de Regnô Dei*, [Eccleſiâ tuâ] è monte *Olyvarum* videntibus ipſis, virtute propriâ, id eſt, virtute divinitatis tibi *hypoſtaticæ* unitæ, & virtute animæ beatæ [beneficiô dotis agilitatis, corpus ad libitum moventis] in Cælum aſcendiſſe.

Neque ſolus, ô glorioſe Salvator! ſed multis Angelorum millionibus, & beatis veterum omnium Patrum animabus ſtipatus, ad cæli palatium evolaſti, *ſicut aquila pullos*, id eſt, fideles tuos *provocans*, ut piorum deſideriorum alis eò etiam evolare ſatagant, dum intereà ad dexteram Patris conſidens, id eſt, eâdem cum ipſo gloriâ in Cælô refulgens, æternam iis ibidem præparas manſionem.

O amantiſſime Jesu! eloquentiſſimâ vulnerum tuorum exhibitione impetra mihi, quæſo, a Patre tuo cæleſti, ut anima mea, dum è corpore migrabit, mox in Cælum evolet glorioſa, corpuſque meum in univerſali carnis reſurrectione reaſſumtum, virtute dotis agilitatis, ſecum in Cælum faciat aſcendere.

Digitized by Google

III. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Spiritus Sanctus ad Apoſtolos miſſus.

O JESU! Firmâ fide credo, te ſacratiſſimô die Pentecoſtes Spiritum ſanctum (a Patre, & te, Filio ejus procedentem) miſiſſe ad Apoſtolos in linguis igneis, ad corda illorum illuminanda, accendenda, roborandaque, ut te Deum verum, pro redemptione noſtra, ex *Maria* Virgine Incarnatum, in cruce mortuum, ad dexteram Patris in Cælo conſidentem, ac venturum judicem, ubivis terrarum; depulsô omni metu mundanô, liberè prædicarent, parati pro gloria tua, & hominum ſalute, quaſvis *Judæorum*, & gentilium perſecutiones fortiter ſuſtinêre, quin & crudeliſſimam mortem lubenter oppetere.

Oro te, ô liberaliſſime JESU! digneris etiam in animam meam Spiritum ſanctum mittere, tamquam ignem divinum, qui, quidquid tibi diſplicet, deſtruat, intellectum meum illuminet, voluntatem inflammet, cor ad quælibet adverſa perferenda corroboret, quique omne, quod tuæ gloriæ, meæque ſaluti conducit, jugiter in me operetur.

Digitized by Google

IV. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Maria *In Cælum aſſumpta.*

O Jesu! Firmâ fide credo, Sanctiſſimam Virginem *Mariam*, mox ab obitu ſuo, tali, ac tantô a te honore habitam, proùt incomparabilis Maternitatis divinæ excellentia, ex dictamine infinitæ tuæ ſapientiæ, poſtulabat.

Quapropter nullus dubito cum Eccleſia *Catholica*, quin Corpus Matris tuæ chariſſimæ (non tam vi morbi naturalis, quam ardentiſſimæ in Deum Charitatis ab anima ſolutum) a corruptionis contagiô præſervaveris: Eamque, cum corpore animæ glorioſæ reunitô, in Cælum aſſumens, ſupra nobiliſſimos cæleſtium ſpirituum ordines, *Cherubin*, & *Zeraphim* longè evexeris: non ſolùm ut divinitatis tuæ clariori viſione, & ardentiori amore fruitivô beatior evaderet, verùm etiam ut cauſam meam, prece ſua, apud te filium ſuum ageret, ſicut tu [ô dulciſſimè Jesu!] cauſam meam agis apud Patrem tuum cæleſtem, pretioſi ſanguinis tui oblatione.

O Maria! ô Advocata mea! Virgo dulcis, atque pia! intercede, quæſo, pro me maximo peccatore, apud filium tuum Iesum, nunc & in horâ mortis meæ, Amen.

Digitized by Google

V. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Maria *in Cælo coronata.*

O Iesu! Firmâ fide credo, Sanctiſſimam Matrem tuam in Cælum aſſumptam, mirificè a te ibidem exaltatam eſſe, adeò ut minimè ambigam, quin illam ſuper Choros Angelorum evectam, ceù auguſtiſſimam omnium cælitum Reginam coronaveris.

Imò, Deus Pater, ô *Maria!* te coronavit ceù Filiam ſuam chariſſimam: Deus Filius, ceù Matrem ſuam digniſſimam: Deus Spiritus Sanctus, ceù ſponſam ſuam electiſſimam: Tota denique Trinitas, ceù tabernaculum ſuum ſacratiſſimum.

Itaque, ô præclariſſima Cælorum Reginâ! millies ac millies totis præcordiorum affectibus tibi aggratulamur; ſed nos preſertim Sodales tui Roſariani cum univerſis cæleſtium ſpirituum ordinibus, cunctiſque beatis mentibus ſupplices te veneramur, omnem tibi deferentes honorem, quem excellentiſſima Dei Matris dignitas jure ſibi vendicat.

O *Maria!* exora (obſecro) pro me cliente tuo, licet indignô, filium tuum, ut cæleſti aliquandò me quoque gloriâ coronare dignetur.

EXERCITATIO SPEI,

Secundæ virtutis Theologicæ, CIRCA V. MYSTERIA GAUDIOSA.

I. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *ab Angelo* GABRIELE *Virgini* MARIÆ *Annuntiatus.*

O Sanctiſſima Trinitas, Unus Deus! plenâ fiduciâ ſpero fore, ut æternam ſalutem (in clara divinæ eſſentiæ viſione, ac fruitione ſitam) aliquando conſequar.

Hanc porrò Spem primariò quidem colloco in miſericordiſſima tuâ omnipotentiâ, in Redemptoris JESU CHRISTI meritis infinitis, nec non in promiſſis divinis, infallibiliter ſemper veris: ſecundariò autem in Sanctisſimæ Matris-virginis, aliorumque Sanctorum, ceu ſalutis humanæ cauſarum inſtrumentalium, ac ſecundariarum patrocinio, & intercesſione: non excludendo opera mea bona, &

Digitized by Google

meritoria, ab omnibus fidelibus adultis per te requiſita: quæ opera, cum à me non procedant, niſi *gratiâ* tuâ adjutô, non minùs, imò plùs tua-dona, quàm mea merita dici debent.

Ad primum autem Myſterium gaudioſum quod attinet; quô pactô, ô IESU! haud ſperarem plenâ fiduciâ æternùm ſalvari, ubi tu, ſecunda Sanctisſimæ Trinitatis Perſona, Angelo *Gabriele* nuntiante, ex Virgine *Maria* homo fieri dignatus es, eô Conſiliô, ut me, omneſque homines [quantum in te eſt] æternùm ſalvares?

Enimverò longè difficilius eſt naturalem Dei Filium, hominem fieri, quam hominem divinâ gratiâ in Filium Dei adoptari.

II. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

ELIZABETH *A* MARIA *Viſitata.*

O IESU! Non parùm ſpes ſalutis meæ æternæ augetur, dum attentiùs conſidero, quod vix in Virgineo *Mariæ* uterô homo factus, ipſam interna inſpiratione, ad *Elizabetham* cognatam ſuam viſitandam moves, in animo habens, munus Redemptoris exordiri, *Joannem* Maternô in uterô, a noxâ originali mundandô, ſanctificandô, nec non Filium Dei adoptivum,

vum, atque cæleſtis gloriæ hæredem efficiendô.

Idcircò tametſi gravibus, ac multiplicibus forem obnoxius peccatis, haud equidem animum de æterna ſalute conſequenda deſpondêrem, ſed in ſpem erigerer, fore, ut ab infinita tua bonitate (meritis tuis, ô amabilisſime Redemptor! intercedentibus) veræ converſionis, ac pænitentiæ gratiam obtineam, quâ a peccatorum ſordibus purgatus, tuorum in numerum Filiorum, regnique cæleſtis hæredum readopter.

Eò porrò ſpes mea evadit firmior, quòd recorder miſericordisſimi tui dicti *Lucæ* 5. *v.* 32. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores*; *&* *Lucæ* 19. *v.* 10. *Venit Filius Hominis quærere & ſalvum facere, quod perierat.*

III. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *In ſtabulo* BETHLEEMITICO *Natus.*

O JESU! Spes mea acquirendæ ſalutis æternæ magis, ac magis accreſcit, quandò te, Filium Dei vivi, ac verum Deum, ex paupercula Matre-virgine, in ſtabulo *Bethleemiticô*, in tenebris mediæ noctis frigidæ, parvulum natum, vilibus involutum pannis, in præſcpio inclinatum, omnique

Digitized by Google

omnique humanô ſolatiô, & ſubſidiô deſtitutum, oculis fidei contemplor attentiùs.

Ex hac, inquam, attentiori fidei contemplatione, ſpem concipio certiorem, fore, ut tu, ò bonitas infinita! ærumnarum, (quibus innocua caro tuá in nativitate ex Virgine affligitur) meritô infinitô, mihi ab æternis liberato ærumnis, ſalutem aliquando conferas numquam finiendam.

Verùm cum tu, O IESU benigniſſime! qui creaſti me ſine me, decreveris me non ſalvare ſine me; id eſt, ſine bonis meis operibus, auxilium gratiæ tuæ ad hæc inprimis neceſſarium, ſupplex poſtulo, magnâ illud ab infinita tua Clementia obtinendi ſpe fretus.

IV. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *Patri æterno in Templo oblatus.*

O IESU! Novum ſalutis meæ ſpes accipit incrementum, dum Beatiſſima Virgo *Maria*, Mater tua Chariſſima te parvulum ſuum Filium, Deum, & hominem, Patri æterno in Templo offert, tuque ad opus noſtræ redemptionis immenſis laboribus, ſudoribus, totius ſanguinis effuſionibus, ac denique amariſſimâ crucis morte perficiendum ipſe Patri tuo te offers.

Sy-

Digitized by Google

Symeon ſenex accipiens te in ulnas ſuas, ſpe, ac fiduciâ repletus, *Benedixit Deum*, *& dixit: Nunc dimittis Servum tuum Domine in pace* [ut moriar] *quia viderunt oculi mei ſalutare tuum* (IESUM Redemptorem meum.)

Utinam! O IESU clementisſime! inſtante mortalis vitæ meę terminô, de tua bonitate, meritiſque infinitis optimè confidens, dicere valeam! fac (obſecro) ut anima indigni ſervi tui ex terreſtri carnis ergaſtulo ad cæli palatium demîgret, quoniam te Redemptorem, Salvatoremque meum oculis vivæ fidei hìc vîdêre. & charitatis divinæ ulnis complecti licuit. *In te, Domine, ſperavi; non confundar in æternum. Sp.* 30. *v.* 1.

V. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *In Templo inter Doctores repertus.*

O IESU! Dum conſidero penitiùs, quod tu puerulus 12. annorum voluiſti a *Maria*, & *Joſeph* inveniri in Templo ſedens in medio Doctorum, poſtquam ſine ſuâ culpâ te amiſſum Triduô dolentes quæſiverant: memor promisſionis tuæ gratioſæ de peccatoribus verè pœnitentibus toties quoties in amicitiam tuam recipiendis: etſi mihi maximum [quod Deus aver-

Digitized by Google

vertat] malum accideret, te tuamque amicitiam lethali noxâ amittendi, ſpero equidem fore, ut gratiæ tuæ auxiliô verè pœnitens in Templo ad pedes Confeſſarii te Quæram, quæſitumque beneficiô *Sacramentalis* abſolutionis te rurſùs inveniam, inventumque deinceps non amittam.

Procul igitur a me, ut, triſtisſimô in caſu noxæ lethalis, ſpe ſalutis excidam! licet enim probè noverim, fideles adultos abſque bonorum operum meritis ſalutem haud obtenturos, magna tamen me ſpes tenet [ubi verâ pœnitentiâ in amicitiam tuam denuò redivero] bona opera vitæ æternæ meritoria tuâ gratià proferendi, atque in iis proferendis in finem uſque perſeverandi.

EXERCITATIO SPEI,

Secundæ virtutis Theologicæ CIRCA V. MYSTERIA DOLOROSA.

I. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *in horto* OLYVARUM *contriſtatus.*

O. IESU! attenta trium in horto Olyvarum pridiè mortis tuæ a te geſtorum

Digitized by Google

conſideratio ſpem meam magnoperè ſu-
ſtentat, atque corroborat.

Primum eſt ſumma, cui te ſponte per-
mittis, triſtitia, mortem tibi vix non
inferens.

Alterum eſt orationis tuæ ad Patrem
cæleſtem fuſæ in luctâ cum morte pro-
tractio.

Tertium eſt perfectisſima voluntatis tuæ
humanæ in divinam abdicatio, amarisſi-
mum Pasſionis Calicem de manu Patris
æterni promptisſimè acceptantis.

1. Summa illa tua, O amabilisſime
Sàlvator! triſtitia in ſpem non medio-
crem me inducit, perfectam de peccatis
meis contritionem ejus meritô a te obti-
nendi.

2. Per orationis tuæ protractionem op-
timè ſpero gratiam impetrare, orationes
meas ob ariditatum, tentationumque mo-
leſtias numquam contrahendi, quò tibi
acceptior fiam.

3. Perfectisſima denique voluntatis tuæ
humanæ in divinam abdicatio magnam
mihi ſpem creat, recipiendi gratiam, qua
me totum divinæ tuæ committam volun-
tati, ad nutum, arbitriumque tuum ad-
dua agere, & pati quælibet paratisſimus.

Atque hôc pactô [O benignisſime Je-
su!] æternæ vitæ bona certâ cum fiducia
a te exſpecto.

Digitized by Google

II. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS A PILATI *militibus flagellatus.*

O JESU! immanis tua flagellatio ingens quoque *Spei* meæ robur adiicit; ſiquidem *Sanguis* tuus pretioſus diris flagellorum ictibus è venis extractus [Teſte *Apoſtolo Hæbr.* 12. v. 24.] *melius loquitur*, quàm ſanguis *Abelis*. Sanguis nimirum innocentis *Abelis* vindictam inclamabat adversùs *Cainum* parricidam: at tuus, ô JESU! Sanguis miſericordiam inclamat pro lictoribus, & nobis omnibus: Etſi enim effuſi ſanguinis tui, peccatîs noſtrîs, prô dolor! Cauſa ſimus, non tamen illum fundis adversùs nos, ſed pro nobis, id eſt, non ad nos condemnandos, ſed redimendos, ac ſalvandos.

Quapropter, maximus licet peccator, de ſalute mea ætèrna, cum *Juda* proditore (qui laqueo ſe ex arbore ſuſpendit) haud deſperabo umquam; verùm ad pedes tuos, O JESU columnæ alligate, & flagellate! humi proſtratus cum *Magdalena* contritionis lachrymis eos rigabo, nec non cum Publicano pœnitente pectus percutiens, ſupplex ac gemebundus deprecabor: *Domine propitius eſto mihi peccatori.*

Magna

Magna, fateor, ac multiplicia ſunt peccata mea, aſt longè major, & multiplicior eſt clementia tua. In hâc igitur ſuperſperabo.

III. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *Spinis coronatus.*

O IESU! magis, magiſque firmatur ſpes mea, fore, ut [ubi tuâ gratiâ legitimè certavero] cæleſtis gloriæ mihi corona obtingat, quando te amore mei per ludibrium coronatum conſpicor coronâ ex ſpinis contextâ, quæ a ſævis lictoribus benedicto Capiti tuo fortiter impreſſa adeò amarè ingemiſcere te facit, quemadmodum homini morienti, dum ei cor frangitur, accidere ſolet.

O Deus amoris! O dulcisſime ſponſe cordis mei! Fac mihi hanc, quæſo, gratiam, ut cum Sancta *Catharina Senenſi*, ſponsâ tuâ electâ coronam tuam ſpineam, quantumcumque doloroſam, & ignominioſam, coronis hujus mundi aureis præferam quàm longisſimè, eamque amore tui lubenter portandô in terra, a te aliquando cum ipsâ coronari merear in Cælo. *Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo Job.* 19. v. 27.

Digitized by Google

IV. MYSTERIUM DOLOROSUM.
Christus *Crucem Bajulans.*

O Iesu! Non poteſt non plurimùm ſpes mea ſalutis æternæ augêri, dum te graviſſimâ peccatorum meorum ſarcina magìs, quàm crucis pondere onuſtum per compita *Hieroſolymitana* ad Calvariæ montem reptentem potius, quàm incedentem intueor.

Eheu! quot ſanguinea poſt te veſtigia relinquis? Quoties debile corpus tuum, fuſo ſanguine exhauſtum, crucis oneri ſuccumbit, priuſquam ad montis verticem pertingas?

Cum porrò hæc omnia, ad abundè pro peccatis meis ſatisfaciendum, Patri tuo cæleſti offeras, certiorem ſalutis meæ ſpem concipio. Quæ ùt me nullatenus fruſtretur, toto corde deſidero (O amantiſſime Salvator! internas, externaſque cruces à te immittendas amore tui lubenter complecti, ac perferre; ais namque *Lucæ* 9. v. 23. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.*

V. MYSTERIUM DOLOROSUM.
Christus *In Cruce mortuus.*

O Iesu! ſpem ſalutis æternæ omni ex parte in me perfectam eſſe oportet,

Digitized by Google

dum te, verum Deum, verumque hominem in monte *Calvariæ* duos inter latrones cruci affixum, poſt extremam trium horarum intervallô cum morte luctam, pro mea, omniumque hominum æterna ſalute inclinato capite morientem oculo fidei contemplor.

Confiteor quidem ingenti cordis mærore, ô amabiliſſime Redemptor! peccata mea doloroſiſſimæ pariter & ignominioſiſſimæ mortis tuæ cauſam extitiſſe. Ego, ego ſum, qui manus, pedeſque tuos perforavi! Ego te cruci affixi! ego tibi mortem intuli! Non ideo tamen ſpem ſalutis abiiciam, aut diminuam, probè ſciens, quod è cruce pendens (priuſquam ſpiritum emitteres) Patrem tuum cæleſtem pro crucifixoribus tuis deprecatus ſis, dicens, *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. Lucæ* 23 *v.* 34. Certus inſuper, quod tuam ipſe mortem Patri tuo obtuleris, mihi vitam ut procurares æternam.

Digitized by Google

EXERCITATIO SPEI;

Secundæ virtutis Theologicæ, CIRCA V. MYSTERIA GLORIOSA.

I. MYSTERIUM GLORIOSUM.

JESUS *à morte reſurgens.*

O JESU! Quomodò cæleſtis beatitudinis ſpe non affluerem, dum aſpectui meo obiiceris, veluti de inimicis [a ſalutis æternæ conſecutione me impedire molientibus] glorioſâ tuâ reſurrectione perfectiſſimè triumphans?

Enimverò è tumulò redivivus exurgens, nedum de devictâ morte (juxta Propheticum dictum, *ero mors tua ô mors!*) verùm etiam de principibus tenebrarum, humanæ ſalutis oſoribus glorioſè debellatis læta erigis trophæa.

Angelus Domini lapidem ſepulchralem removens ajebat *Magdalenæ*, aliiſque piis mulieribus, te, ô JESU! in monumentò

anxiâ ſollicitudine, magnôque dilectionis fervore quærentibus: *Nolite timere vos: ſcio enim, quod* JESUM (*qui crucifixus eſt*) *quæritis. Non eſt hìc; ſurrexit enim. Matt.* 28. *v.* 5. & 6.

Itaque neque mihi, jubente Angelo, timendum eſt, ſed certa potius concipienda ſpes, fore, ut tecum aliquando, ô JESU! glorioſus reſurgam, ſi cum piis illis mulieribus te, ceù Redemptorem meum crucifixum ardenti animo ſollicitè quæſivero, crucem tuam ſincerè diligens, perverſiſque naturæ depravatæ inclinationibus tui dilectione moriens.

II. MYSTERIUM GLORIOSUM.

JESUS *In Cælum aſcendens.*

O JESU! Mirificè ſpem meam ſalutis æternæ promoves, atque extollis, dum è monte *Olyvarum*, aſpicientibus Apoſtolis tuis, cælum propriâ virtute glorioſus conſcendis, poſtquam à morte redivivus quadraginta dierum intervallô in terra remanſeras, ipſos de *Regno Dei* [Eccleſia tuâ] diligenter inſtruens.

Cum verò eò ſequi ſoleant membra, quò Caput præceſſit, optimè ſpero, atque confido, ô dilectiſſime Salvator! ſi vivum tui membrum durante hac mortali vitâ extitero, charitate non fictâ

tibi

tibi capiti meo agglutinatum, in cæleſte aliquando palatium à te aſſumptum iri.

Atque id eò firmiùs, certiuſque ſpero, quod tu cælo receptus partes meas jugiter agas apud Patrem tuum cæleſtem, qui te dilectiſſimum Filium ſuum *propter reverentiam tuam ſemper exaudit.*

III. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Spiritus Sanctus ad Apoſtolos miſſus.

O Jesu! Quamvis nulla mihi æternæ ſalutis ſpes affulſiſſet hactenus, nunc ſanè certiorem de ea ſpem conciperem, quandò decimô à glorioſâ tuâ in cælum aſcenſione die, Spiritum ſanctum tuum ſub ignearum linguarum ſpecie ad Apoſtolos [donis ſuis, ut eorum corda impleat cæleſtibus] mittere dignaris; ſiquidem eundem ſpiritum ad me etiam, omneſque in te credentes (niſi obicem ponant) mittere, gratiosè promiſiſti.

O quid non operabitur amor divinus, in corde meo diffuſus ab eo, qui increatus, & Perſonalis in Sanctiſſima Trinitate amor eſt, à Patre cæleſti, teque Filio ejus Unigenitô, per amorem infinitum (quô invicem diligitis) ab æternô procedens?

Facilè omnem ille in me inordinatum ergà res creatas amorem deſtruet, effici-

etque,ut te, ô amabiliſſime Jesu! Super omnia diligam propter te. Et quid porrò à te sic dilectô certâ cum fiduciâ minus ſperem, quam te, ô bonitas infinita! clarâ viſione æternùm frui, eâque perfectè beari?

IV. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Maria *In Cælum aſſumpta.*

O Jesu! quàm efficaci denuò ſpem meam incitamentô Urges, quando Beatiſſimam Virginem, Matrem tuam Mariam, divini amoris cuſpide feliciter peremptam, ad cæleſtia aſſumis palatia, eô Conſiliô, ùt nedùm eám pro meritô ſummis cumules honoribus, verùm etiam, ut potenti ejus interceſſione me quoque cæleſtis aliquando gloriæ participem efficias.

O Maria! jure meritiſſimô tibi ab Eccleſiâ accommodantur verba illa æternæ ſapientiæ: *Ego Mater ... Sanctæ Spei*: quòd nimirùm ardentiſſimis à Filio tuo naturali Jesu Christo precibus, ſpem futurorum bonornm,[quæ corda noſtra à terrenarum rerum amore avulſa, ad cæleſtia proſequenda ſuſtollit] Filiis tuis ſpiritualibus impetrare ſoleas.

O Utinam Beatiſſima Virgo in numerum ſpiritualium Filiorum tuorum me adoptare

Digitized by Google

doptare non dedigneris! Eum in finem nomen meum ſodalitio tuo Roſariano adſcribi curabo, atque indiès, Religioſâ Sanctiſſimi Roſarii recitatione, efficax tuum, O MARIA! apud IESUM implorabo patrocinium, quô mihi *Spem* illam *Sanctam*, [Unà Tecum, & Univerſis Cæli incolis eſſentiam divinam intuêndi, amandi, ac laudandi in perpetuas æternitates] à Filio tuo obtineas.

V. MYSTERIUM GLORIOSUM.

MARIA *in Cælo coronata.*

O IESU! Spei meæ ſalutis æternæ imponis coronydem, dum Sanctiſſimam Matrem tuam, ſemperque Virginem MARIAM, veluti Auguſtiſſimam Cælorum Reginam, divinorumque Theſaurorum diſpenſatricem ſolemni pompâ in Cælo coronas.

O MARIA! ô Inaugurata Cæſorum Regina! ô divinorum diſpenſatrix Theſaurorum! Quis umquam peccator, graviſſimorum licet ac plurimorum ſcelerum reus, ad te confûgit (tuum apud Filium IESUM CHRISTUM, implorando enixè patrocinium) & repulſam tulit, ac per te in gratiam ejus non redivit?

Quapropter etſi me quoque enormium ac multiplicium peccatorum pondere præ-

Digitized by Google

gravatum, & à divina gratiâ, amicitiâque extorrem eſſe contingeret, haud ideò tamen mihi ſpes concideret (te, ô MARIA! patrocinante) gratiam, amicitiamque Filii tui amiſſam, veræ pœnitentiæ donô recuperandi, in eâque uſque ad ultimum vitæ ſpiritum perſeverandô, æternam ſalutem conſequendi.

EXERCITATIO CHARITATIS,

Tertiæ virtutis Theologicæ CIRCA V. MYSTERIA GAUDIOSA.

I. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *ab Angelo* GABRIELE *Virgini* MARIÆ *Annuntiatus.*

O Sanctiſſima Trinitas, Unus Deus! *Diligo te ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex omnibus viribus meis, & ex omni mente mea*, quia bonitas es infinita, ex ſe ipſa ſummè amabilis, & quidem [quæ maxima & ſtupenda tua erga vilem

vilem homuncionem dignatiò eſt] diligo te amore amicitiæ, fundatô in amicabili tui ipſius communicatione per habitualem gratiam ſanctificantem mihi gratioſè infuſam, quæ, cum formalis participatio ſit naturæ divinæ, & ſemen cæleſtis gloriæ, procul dubiô te perfectè fruar in Cælis, ſi hic, ſpeciali tuo munere, in tui dilectione uſque ad mortem perſeveravero in terris.

Ad primum vero *Myſterium* gaudioſum quod attinet; ardentem profectò in animo meo tui amorem excitas, ô Deus meus, & omnia! quando ab æternô *ſic dilexiſti mundum*, ut *Filium tuum Unigenitum*, tibique conſubſtantialem, in tempore *dares*, ad humanam naturam, Angelô *Gabriele* nuntiô, ex *Mariâ* Virgine, ſolâ Spiritus ſancti operatione aſſumendam!, in eâque poſtliminiò pro omnium noſtrum ſalute æternâ in cruce moriendum.

Væ mihi, ſi talem, ac tantum Dei ergà me amorem, ſincerô, & ardenti amore haud rependam!

Porrò tantô vehementiùs, ô Clementiſſime Salvator! ad te redamandum impellor, quod (uti ritè animadvertit Apoſtolus tuus *Rom.* 5. *v.* 8. & 10.) *Charitatem illam tuam nimiam commendaveris in nobis, cum adhuc peccatores .... & inimici tui eſſemus.*

II. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

Elizabeth A Maria *Viſitata.*

O Jesu! Novô ad te ex intimô ſenſu diligendum urgeor ſtimulô, dum mihi, eximium *Joanni* à te exhibitum amorem conſideranti, in mentem venit maximi amoris à te mihi oſtenſi recordatio.

Ambos nos *dilexiſti charitate perpetua*: *Joanni* hanc luculentè exhibuiſti, dum illum (*Maria* Matre tuâ *Elizabetham* cognatam ſuam viſitante) à labe noxæ originalis mundaſti, atque è diaboli mancipiô, Filium Dei adoptivum, ac hæredem effeciſti.

Aſt longè evidentiùs tuum erga me amorem, ô Jesu! oſtendiſti, ubi, poſt amiſſam propriâ culpâ, (quam in Baptiſmate a te acceperam) gratiam, miſericorditer mihi dolorem ex benevola tui dilectione promanantem infundere dignatus es, ac beneficiô *Sacramentalis* Confeſſionis & abſolutionis, omni culpâ dimiſsâ, me in numerum filiorum, atque hæredum tuorum reaſſumere.

O Iesu! ô amantiſſime Redemptor! me quæſo, ſpeciali tuô munere, filiorum tuorum adoptivorum cathalogo rurſus adſcriptum, tam arctô tibi amoris nexû adſtringas,

Digitized by Google

ſtringas, ut nullius rei creatæ inordinatô amore à te unquam divellar.

III. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in ſtabulo* BETHLEEMITICO *natus*.

O IESU! Quàm fortiter & ſuaviter me iterum ad amorem tui allicis, in ſtabulô *Bethleemitico* ex puriſſima Virgine *Maria* amore mei infans naſcens?

Optabat olim ardenti deſideriô ſponſa tua te ità natum intueri, atque complecti, in hæc amoris verba prorumpens: *Quis mihi det*, ô Fili Dei! *Te Fratrem meum ſugentem ubera Matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te, & jam me nemo deſpiciat!*

Nunc ardens iſtud ſponſæ tuæ cæleſtis adimpletur votum, 1. cum te, ô JESU! Filium Dei, verum Deum, & hominem, temporali ex Virgine nativitate, *Fratrem* ſortitur. 2. Cum te Matris tuæ *Mariæ* [quæ & ſponſæ, omniumque fidelium, maximè juſtorum Mater eſt) virgineô ubere lactari conſpicit. 3. Cum te foris in ſtabulo *Bethleëmitico*, extra ſinum videlicet Patris tui cæleſtis (in quo anteà latebas abſconditus) reperit. 4. Cum ſacrum ſuaviſſimumque, ô infans divine! tibi amoris infigit oſculum, quô deinceps à

Digitized by Google

nemine flocci habeatur, ſed apud ipſos etiam cæleſtes ſpiritus maximâ ſit exiſtimatione, & honore.

Felix profectò eris, ô anima mea! ſi JESUM ſuper omnia diligendo, ſponſa ipſius eſſe merearis!

IV. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in Templo oblatus*.

O JESU! ardentiori in te amor meus flammâ accenditur, (quandò Sanctiſſimâ Matre tuâ Mariâ in Templo Deo Patri te offerente) tu quoque eidem te ipſe offers, ut internam animi crucem 33. annorum ſpatiô, amore mei, portes, & externæ affixus cruci in monte Calvariæ mortem oppetas.

O Infans divine! ô dulciſſime Redemptor! Utinam tam tenerô te amore complecterer, ſicut *Simeon*, in ulnas ſuas te recipiens, complexus eſt! Utinam tam ferventi te amore diligerem, ſicut *Anna Prophetiſſa*, illuminatô cordis oculô te contemplans dilexit! Imo utinam tam ardenti, arctôque amore tibi agglutinarer, ſicut Beatiſſima Virgo, parens tua ſinu virginali te fovens, agglutinata tibi fuit!

O JESU! O Deus amoris! fac, ut maximi illius incendii amoris (quo cor tuum erga Patrem cæleſtem flagrabat) mini-

Digitized by Google

minima ſaltem ſcintilla in cor meum deſtillat, quâ inordinatô creaturarum amore congelatum liquefiat, conceptâque divini amoris flammâ incaleſcat, inflammetur, & jugiter ardeat.

V. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *In Templo inter Doctores repertus.*

O JESU! *Maria* Mater tua, & *Joſeph* nutritius Pater tuus manifeſtum ſingulariſſimi in te amoris argumentum præbuêre, dum te 12. annis natum, inculpabiliter amiſſum ingenti animi mærore diligenter quæſiverunt, & poſt triduum in Templo ſedentem iner Doctores maximô cordis gaudiô invenerunt.

Enimverò menſura mæroris, ac gaudii amor eſt. Quò aliquod bonum magis amatur, eò magis affligit amiſſum, & repertum magis lætificat.

Prô dolor! O anima mea! quandoquidem parvus ſit mæror tuus, dum Deum tuum, ejuſque amicitiam peccandô amittis, neque lætitia tua magna ſit, dum illum beneficiô *Sacramenti* pænitentiæ à te inventum exiſtimas, id non obſcurô ſanè indiciô eſt amorem tuum erga Deum exiguum eſſe.

O bonitas infinita! tantum, tamque con-

conſtantem, quæſo, cordi meo in te amorem infunde, ut te, tuamque amicitiam peccandò numquam amittam.

EXERCITATIO CHARITATIS,

Tertiæ virtutis Theologicæ CIRCA V. MYSTERIA DOLOROSA.

I. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *in horto Olyvarum contriſtatus.*

O JESU! Si ſpontanea adverſôrum pro dilectô tolerantia, ſit evidens dilectionis probatio (ad mutuum amorem non tam invitans, quam cogens) profectò ſuper omnia beneficia tua amabilem te mihi reddit amariſſimæ paſſionis tuæ calix, quem in horto *Olyvarum* de manu Patris cæleſtis, liberrimâ voluntate, funditùs exhauriendum, acceptaſti, quô pro me divinæ læſæ Majeſtatis reo cumulatiſſimè ſatisfaceres, atque à ſempiterno interitu me eriperes.

O

Digitized by Google

O dulciſſime Jesu! Fuit tuus in me amor, qui illô in hortô animam tuam mortali affecit triſtitiâ: Fuit tuus in me amor, qui ſudorem ſanguineum è corpore tuo copioſè expreſſit.

O Sampſon divine! Fuit tuus in *Dalylam*, animam meam amor, qui te viribus privatum ligari, & captivum abduci fecit, non à *Philiſtæis*, ſed ab inimicis tuis *Judæis*.

O Jesu! Vulnera, quæſo, amoris tui ſagittâ animam meam, facque, ut & ego meam in te dilectionem [adverſa quælivêt a te immiſſa lubenter tolerando] re ipsâ comprobem.

II. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *A* Pilati *militibus flagellatus*.

O Jesu! Meum in te morem magis accendis, in ſecundô hoc myſterio doloroſô evidentius amoris tui in me argumentum exhibendo.

In horto ſiquidem *Olyvarum* amorem tuum demonſtrabas ſanguinis ſudorem emittendô: Aſt in atrio *Pilati* flagellis cæsus eundem oſtentas amorem integros ſanguinis rivos fundendo.

Liceat mihi cum *Iſaia* cap. 63. v. 2. Te ô Jesu! Interrogare: *Quare rubrum eſt veſti-*

veſtimentum tuum? Quare (amabo) innocens, & tenera caro tua [quâ divinitas quaſi veſtimentô tegitur] tantoperè rubet? Scilicet divini amoris penicillus propriô tuô ſanguine copioſiſſimè fusô eam ità rubricavit.

Meritô tibi dixero, quod olim *Zephora Moyſi* dixit: *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* Poterône, ô ſponſe animæ meæ! te non toto corde redamare, à quô tantô amore præventus ſum?

O Pater miſericordiarum! hanc mihi [obſecro] largire gratiam, ut flagella omnia, quibus infinitæ tuæ ſapientiæ ac bonitati, me Filium tuum, (quô æternùm parcas) hìc caſtigare viſum fuerit, de paterna manû tua maximi beneficii, gratiæque loco acceptem.

III. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *Spinis coronatus.*

O IESU! Stupore defixus hæreo conſpiciens te verum cæli, terræque Regem diademate ſpineo irriſoriè coronatum.

Supplicium hoc retroactis ſæculis inauditum, ſicut eſt nova ſpirituum infernalium inventio, ad te, ô innocentiſſime IESU! graviori dolore, & ignominia diſcruciandum, ita eſt ardentiſſimi tui in me amoris

nova

nova probatio, quâ mihi novi cruciatûs meritò coronam cæleſtis gloriæ obtineas.

Age igitur ô anima mea! *Egredere cum filiabus Syon*, animabus Deum amantibus, & *vide* quam lugubrî Regem *Salomonem* ſponſum tuum, cæleſtem pompâ inaugurarint!

Thronus Ejus durus eſt lapis; ſceptrum, arundô; paludamentum, trita & lacera chlamis coccinea; Regium diadema, corona ſpinea; proceres, & aulici gratulantes, *lictores* ſunt *illudentes*.

O Jesu! Quam altè hìc tuus in me peccatorem amor ſe effert! Æquum ſanè eſt, ut meus in te, Deum meum, amor altè quoque ſe evehat.

O Utinàm amor ille ſic meo ardeat in corde, ut de ſenticoſis rigoroſæ pœnitentiæ ſpinis tibi gratam, mihique ſalutarem coronam texat, poſteà cum cæleſtis gloriæ coronâ commutandam!

IV. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Crucem bajulans*.

O Jesu! Tuus in me miſerum amor ſe prodit quàm maximè, dum à *Pilato* crucis injuſtiſſimè damnatus, hanc per compita *Hieruzalem*, fractis ad montem *Calvariæ* humeris, bajulas. Prô dolor! lacerum, viribuſque exhauſtum corpus tuum graviſſimo crucis oneri ſuccumbens in terram prolabitur!

Aſt

Aſt fortis amor tuus te mox erigit, efficitque,ut trabes illa, delicato, vulneratoque corpori tuo ponderoſa nimis,animo tuo amanti plumulâ levior appareat.

O Iesu! Infunde mihi [quæſo] mutuum in te amorem adeo robuſtum, ut cruces quantumcumque graves, exemplô tuô, patienter,imò lætanter perferam.

Cnm verò mihi felicitas non obtigit, ut cum filiabus *Syon* te crucem bajulantem piæ commiſerationis affectû comitarer; mihi præcipuè in votis eſt,nunc ſaltem,dum ſive ſolemnibus in ſupplicationibus, ſacræ priſidi incluſus,à Sacerdote circumferris, ſive dum ad infirmos ſpirituali viaticô reficiendos geſtaris, tota animi, corporiſque reverentia, ac pietate me tibi comitem præbere.

V. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *In cruce mortuus.*

O Iesu! In hôc ultimô *Myſteriô* doloroſô tuus in me amor altiùs adhuc,quam in quatuor anteactis ſe extollit, quandò pro meâ,omniumque hominum æternâ ſalute cruci affixus,poſt extremam trium horarum ſpatiô cum morte luctam,doloroſiſſimam, juxta & ignominioſiſſimam necem occumbis.

Quo mors tua, ô Iesu! doloroſior,

&

ignominioſior exiſtit, eò ardentiſſimi ii in me amoris clarior, certiorque eſt gnificatio.

Moreris in cruce, ô dulciſſime amator nimæ meæ! Ut me ab æterna morte eri-ias: vitâ privaris mortali, ut immortali ne vitâ bées.

Næ igitur durus, & ingratus ſim nimis, ſi te toto corde non redamem, te [in-quam] Deum ac Salvatorem meum, qui me tantillum tantus prior amaſti tantùm?

Si quis non amat Dominum noſtrum Iesum Christum, *ſit anathema*, ait *Apoſtolus* 1. *Cor.* 16. *v.* 22. Adeòque, qui hìc, ô Iesu! Cæleſtis amoris tui igne non arſerit, ab infernalis ignis ardore ſempiternô liber non evadet.

EX-

Digitized by Google

EXERCITATIO CHARITATIS

Tertiæ virtutis Theologicæ CIRCA V. Myſteria Glorioſa.

I. MYSTERIUM GLORIOSUM.

IESUS *A morte reſurgens.*

O IESU! Quàm te hîc amabilem mihi demonſtras, dum è tumulô triumphali pompâ te reſurgentem conſpicio?

Quando in monte *Thabor* tribus chariſſimis tuis diſcipulis *Petro*, *Joanni*, & *Jacobo* glorioſi corporis tui ſpecimen exhibebas, *Petrus* maximô amore & gaudiô a ſe ipſo abalienatus exclamabat: *Domine bonum eſt nos hìc eſſe. Matt* 17. v. 4. Totuſque deſiderabat, perjucundâ iſtius amabilis objecti contemplatione inceſſantur perfrui.

Verùm, o mi dilectiſſime JESU! Altiùs fidei oculos extollere eſt animus, ad ipſam ſcilicet animæ tuæ gloriam contem-

plan-

ndam, quâ jam indè à primò creonis ſuæ momentò, ob hypoſtaticam n divinitate unionem, prædita, longè ɔfectò corpore tuo glorioſo, & exceltior eſt, & amabilior.

Porrò ſuper omnia internorum oculom aciem in infinitam naturę tuæ divinæ ılchritudinem dirigo, cujus amore neım *Cherubim* & *Zeraphim* (ſupremi cæſtium ſpirituum Chori) inebriati ſunt, d tu ipſe, o Deus meus! captus, te finitè diligis.

O Jesu, pulchritudo immenſa! frigiım (quæſo) cor meum amoris tui flamıâ incende.

II. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Jesus *In Cælum aſcendens.*

O Iesu! Quàm efficaciter in animo meo amorem tui excitas, tuum in me anorem clariſſimè demonſtrando? Enimverò inter cæteras glorioſæ tuæ in Cælum aſcenſionis rationes recenſentur ſequentes.

1. Ut nobis viam ad Cælum ſternas, *ſicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos*: Quò te unà cum corpore & animâ in univerſali carnis reſurrectione glorioſè Cælum conſcendendó ſequamur.

2. In Cælum evolaſti, ut corda noſtra à terrâ eleves, quó nimirum amore & deſiderio

deſiderio jam nunc ibi habitaremus, ubi tu [ó Jesu!] perpetuum tibi habitaculum elegiſti: dixiſti namque in *Evangeli Matt. 6. v. 21. Ubi eſt Theſaurus tuus ibi eſt cor tuum.*

Cùm itaque tu ſolus, ô amantiſſime Redemptor! ſis Theſaurus meus, qui me ditare, & ſatiare vales, ſupplex te rogo talem mihi tui dones amorem, quô in hac peregrinatione ſolô corpore conſtitutus, cogitatione & aviditate in æterna Patria tecum converſari liceat.

III. MYSTERIUM GLORIOSUM

Spiritus S. ad Apoſtolos miſſus.

O Jesu! Tui in animô meô amorem ſingulariter foves, dum ſacratiſſima die Pentecoſtes ſanctum Spiritum tuum ad Apoſtolos ſub ſpecie ignearum linguarum mittis, ad corda eorum cæleſtis amoris igne inflammanda.

O ignem verè ſalutiferum! Utinam tam beatus ſim, ut à te inflammer! illicò me alterum in hominem transformabis. Peccatum, quod perditè amabam, ſancto perſequar odiô: & virtutem, quam perversè odiebam, ſanctô proſequar amore. Terrenæ mihi amareſcent diliciæ, & ſolæ ſapient cæleſtes. Hôc mundô utar quaſi non utens. Denique pertæſus exilii, ...

Patriam

Patriam cæleſtem, & te ſolum, ô Deus meus, & omnia! jugiter ſuſpirabo.

O Jesu! Votorum meorum ſumma hæc eſt, ut Spiritum ſanctum tuum ad me inviſibiliter mittere digneris, qui ſalutifero illo tui amoris igne me totum accendat, atque inflammet.

IV. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Maria *In Cælum Aſſumpta.*

O Jesu! Non poſſum non iterum, iterumque efficaciter movêri ad te toto corde ſuper omnia amandum, dum in hoc glorioſo Matris tuæ *Mariæ* in Cælum Aſſumptæ *Myſterio*, ejus in te filium ſuum amorem tam liberaliter remuneratum intueor.

Poſtquam enim amoris tui cuſpide læthaliter vulnerata è vivis diſceſſerat, corpus ejus Virgineum ab omni corruptione illæſum ſervaſti, eamque cum anima & corpore glorificatô, beneficiô agilitatis [quæ ex quatuor glorioſi corporis dotibus una eſt] Cælum conſcendere feciſti. Et [qui amplior eſt *Mariæ* honor] ſuper omnes mentes beatas in Cœlis celſiori in loco eam collocaſti, quòd hìc in terra vivens ardentiùs Deum amandô vicerat omnes.

O Maria! Ad te miſer confugio. In Cælum

Cælum aſſumpta es, ut meas apud Filium tuum partes agas. Unicam a te gratiam enixè poſtulo, ut mihi divini amoris obtineas incrementum, inordinatô cujuſcumque rei creatæ amore procul à corde meo depulsô.

V. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Maria *In Cælo coronata.*

O Jesu! Non tibi ſuffecit eximium *Mariæ* in te Filium ſuum, creatorem, Patrem, & ſponſum amorem glorioſâ in Cælum aſſumptione remunerare, eam ſuper omnium cæleſtium ſpirituum Choros evehendô: inſuper ipſam veluti Cæli, terræque Reginam, diademate exornas cœlico, quod omnium Sanctorum, Angelorum & hominum coronas, ſplendore, ac pretio incomparabiliter ſuperat; ſimulque eam Theſaurorum tuorum cæleſtium diſpenſatricem conſtituis.

O Maria! O Inaugurata Cæli, terræque Regina! Meritò ab Eccleſia *Mater pulchræ dilectionis* ob binas rationes nominaris. 1. Quia Iesum, ipſum amorem increatum peperiſti. 2. Quia amorem creatum, quo Deum amamus, tuo patrocinio noſtris in cordibus per infuſionem Spiritus ſancti parere ſoles.

Oro igitur te, o Beatiſſima Virgo! eſto mihi

mihi *Mater pulchræ dilectionis*, dilectionem ergà Filium tuum verè *pulchram*, tuâ in corde meo interceſſione, pariendo.

FINIS.

EXERCITATIO CHARITATIS,

Tertiæ virtutis Theologicæ Ad alteros homines beatitudinis capaces ſe diffundentis, CIRCA V. MYSTERIA GAUDIOSA.

I. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *ab Angelo* GABRIELE *Virgini* MARIÆ *Annuntiatus*.

O Sanctiſſima Trinitas, Unus Deus! Quoniam Tu jubes, ut dilectio (quâ te propter te ſuper omnia diligo) ad alteros ejuſdem beatitudi-

nis mecum capaces ſe diffundat, illos etiam, propter te, ſicut me ipſum diligere cupio.

In primò porrò Myſteriò gaudiosò, ô Jesu! tuo præclarò exemplò ad alios diligendum me excitas, dum Tu ipſe sìc nos amas, ut Angelò *Gabriele* nuntiò, ſolâ Spiritus ſancti operatione, pro æternâ omnium hominum ſalute, ex *Mariâ* Virgine homo fias.

Sic Deus dilexit mundum (verba ſunt dilectiſſimi Diſcipuli tui *Joannis*. Cap 3. v. 16.) *Ut Filium ſuum Unigenitum daret*, ad humanam ſcilicet naturam aſſumendam, in eâque, diriſſimam crucis mortem perferendam, *ut omnis qui credit in Eum*, Fide vivâ, & per Charitatem operante, *non pereat*, *ſed habeat vitàm æternam*.

O mi amantiſſime Redemptor! tuô excitatus exemplô, tuâque gratiâ adjutus, quoſvis alios ejuſdem mecum adipiſcendæ ſalutis idoneos, ſincero amore, ſicut me ipſum ratione tui complector, pro iiſque me, & omnia mea impendere, & ſuperimpendere paratus ſum, æternam vitam illorum meæ temporali longè anteponens.

II. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

Elizabeth à Maria *Viſitata*.

O Jesu! Pergis tuô, Chariſſimæque Matris exemplô me ad alios, ſicut

Digitized by Google

me ipſum; propter te diligendos, commovêre.

Enimverò tuum in *Joannem* amorem demonſtras, ipſum à ſordibus noxæ originalis maternò in Uterò mundandô, Filiumque Dei adoptivum efficiendô: *Maria* vero Mater tua ſuam ergà *Elizabetham* dilectionem oſtendit, per aſpera *Judeæ* montana iter arripiendô, ipſam inviſendi, totamque *Zachariæ* Familiam cæleſtibus favoribus ditandi causâ.

Age ergò ô anima mea! Amôrem, quô JESUM omnibus amabilibus præfers, ad alios quoſvis propter ipſum amandos copiosè diffunde. Exemplô Matris Dei, conſanguineos, extraneoſque, præſertim operæ tuæ indigos [datâ opportunitate] inviſere, iiſque opem ferre ne dubita. In hôc etiam *Mariæ* exemplum imitère, ut quemadmodum ipſa piis, ſanctiſque ſermonibus Univerſam *Zachariæ* domum ſanctificavit, tu quoque, dum alios à te, vel te ab aliis inviſi contigerit, *Chriſtianis* eos collocutionibus ad virtutem, pietatemque excitare, ac perducere ſatage.

III. MYSTERIUM GAUDIOSUM.
JESUS *in ſtabulo* BETHLEEMITICO *Natus*.

O JESU! Mirandum hic in modum tuum in homines amorem teſtaris, quan

dò ex puriſſima Virgine *Mariâ* in ſtabulô *Bethleèmiticô* naſceris homo Deus, nedum ut honorem Patris tui, peccatis noſtris læſum, repares, ſed etiam ut nos ab æternâ damnatione, quam delinquendo meruimus, clementer liberes.

Verùm Eheu! ab ingratis *Judæis*, prò tam immensô beneficiô, quàm malè exciperis, dum *Mariæ* partui Virgineo proximæ, adeòque & tibi, ô Jesu! locum in diverſoriô recuſant!

O Deus amoris! Talem mihi [obſecro] ergà alios homines infunde dilectionem, ut à me obſequium petentibus, maximè afflictis, & gravi neceſſitate preſſis, id (dum è meâ facultate fuerit) exhibêre numquam abnuam; memor dicti tui: *Matth.* 25. *v.* 40. *Amen dico vobis: quàm diù feciſtis Uni ex his Fratribus meis minimis, mihi feciſtis*: & *v.* 45. *Quàm diù non feciſtis Uni de minoribus his, nec mihi feciſtis.*

IV. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

Jesus *in Templo Patri æterno oblatus.*

O Jesu! Sanctiſſima Mater tua Te gaudens in Templo obtulit, & Tu ipſe incredibili animi lætitiâ te Patri tuo cæleſti obtuliſti, ad humanam noviter aſſumptam

tam

Digitized by Google

tam vitam pro meâ,omniumque hominum æternâ redemptione per mortem crucis amittendam; cujus tantopere ſitibundus eras, ut mortis dilatio multò te vehementiùs, quam ipſa crudeliſſima mors afflixerit: ais namque Luc. 12. v. 50.: *Baptiſmo habeo Baptizari* (nempe Paſſionis, & Sanguinis mei cópiosè fundendi) *& quomodo coarctor, donec perficiatur?*

O Mi dilectiſſime Salvator! Exemplô tuô, ac ſanctiſſimæ Matris tuæ me ipſe quoque *Majeſtati tuæ divinæ* totum offero, nedum ad tui nominis gloriam, meique ipſius ſalutem, ſed etiam aliorum pro viribus promovendam: firmiter decernens mortalem corporis mei vitam pro immortali animæ aliorum vitâ (dum opus fuerit) lùbenter etiam amittere.

Ad hoc tam *Chriſtianum* decretum fortiter perficiendum, tuam, ô Jesu! gratiam ſupplex imploro.

V. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

Jesus *in Templo inter Doctores repertus.*

O Jesu! Amor, quô *Maria* Mater tua, nec non *Joſephus* Pater tuus nutritius tenerrimè Te diligebant, ingenti corda eorum mæſtitiâ implevit, quandò exactâ feſtivitate *Paſchali*, *Jeroſolymis* in

in *Nazareth* redeuntium aſpectibus Te ipſe 12. annorum puer ſubſtraxiſti; idemque amor eorum animos maximâ perfudit lætitiâ, quando Tridui intervallô diligenter ab ipſis quæſitus, *Jeroſolymis* in Templo, in medio Doctorum ſedens repertus es.

O Deus amoris! Intimô animi ſenſu exopto, meus ut ergà alios amor cum *Mariæ*, & *Joſephi* amore in eo conveniat, ut vehementi quidem me dolore afficiat, dum quis peccandô tuâ amicitiâ privatur, & è converso idem amor ingens mihi gaudium àdferat, dum quis à peccatô verâ pœnitentiâ reſurgens, tuam amicitiam recuperat.

EXERCITATIO CHARITATIS,

Tertiæ virtutis Theologicæ
Ad alteros beatitudinis æternæ capaces, ſe diffundentis,

CIRCA
V. Myſteria Doloroſa.

I. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus in horto Olyvarum ad mortem uſque contriſtatus.

O Jesu! Dum Te in horto *Olyvarum* pro æterna humani generis ſalute ad mortem uſque contriſtatum, & copioſi ſanguinis ſudore perfuſum attentâ mente conſidero; vehementer urgeor ad tuô exemplô alteros ejuſdem mecum beatitudinis capaces (quorum cauſâ tanta pati voluiſti) amore Tui diligendos, ſicut me ipſum.

Tu, ô benigniſſime Redemptor! triſtiſſimô illô in hortô ab oratione tuâ ad Patrem cæleſtem excluſiſti nemi-

Digitized by Google

nem · Tu *Judam* ipſum, Ductorem catervæ feralis [quæ Te in hortô illô comprehendit] amici nomine compellaſti, cum tibi proditorium infigeret oſculum: in animo tuo ſincerum ejus converſionis, & ſalutis æternæ conſervans, fovenſque deſiderium.

Da mihi (obſecro) ut meus in Te amor ô Bonitas infinita! ad omnes omninò homines ſe quoque diffundat, etiam ad inimicos, maximè mihi licet infenſos, quia tu ſupremus legiſlator ità jubes Matt. 5. v. 44. *Ego dico vobis: diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos; ut ſitis Filii Patris veſtri, qui in Cœlis eſt; qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. Si enim tantùm diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Numquid & publicani hoc faciunt?*

II. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *à Pilati militibus flagellatus.*

O JESU! Immanis, & cruenta corporis tui flagellatio (quam columnæ nudus alligatus à crudelibus pro ſalute noſtra lictoribus ſuſtines) novum, graviuſque de tuô in nos amore teſtimonium perhibet.

Eheu!

Eheu! ô *Speciosus inter Filios hominum*! totus hic *leprosus* appares; & *vir dolorum*, *à vertice Capitis, usque ad plantas pedum non est in te sanitas*.

O amantisſime Redemptor! totô vitæ mortalis tuæ decurſu cupidisſimus fuiſti, Te ipſe ut amore noſtri, propriô rubentem ſanguine, opprobriiſque ſatiatum conſpiceres. Ardentisſima tua cupido nunc expleta videtur.

Aſt, ô amor Divinus! Tantumne vales in corde Jesu? Et ne tantillum quidem in corde meo?

Fac (quæſo) ô Clementiſſime Salvator! Sanctum tui amoris ignem sìc ardêre jugiter in corde meô, ut ad quosvis alteros copiosè ſe diffundat, efficiatque, ut dum ſaluti eorum promovendæ opus fuerit, dura etiam, & aſpera quæque pro iis patiar lubenter, quô te, ô bonitas infinita, omnîque amore longè dignisſima! cum ipſis æternùm diligere, & in Cælis perfrui valeam.

III. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Spinis coronatus*.

O Jesu! Non ceſſas efficaciſſimis meum in Te amorem ſtimulis impellere, ut in alteros homines ſe diffundat.

Quid? An ſanguis diriſſimâ è venis tuis

 ſtar-

flagellatione copioſè extractus haud ſuffi-ciebat tuo in nos amori demonſtrando, abſque eo, quod novi ex capite tuo cruoris rivuli defluerent?

Numquid Caput iſtud, divinorum omnium Theſaurorum officina, poterat ſpineo haud redimîtum diademate, cæleſtes ſuos in nos derivare influxus?

Poterat enimverò. Sed Tu, ô dilectiſſime Redemptor! Lubens permittis ſpinarum aculeis perfodi caput tuum; acerbiſſimos illi dolores inuri; totque ſanguinis ex eô rivulos effluere, quot ſpinarum aculei cauſam vulnera, ut nos ad alteros amore tui diligendos, & dura quæque pro ipſorum ſalute ſuſtinenda, urgentiori ſtimulo excitares.

O amor divinus! perfice [quæſo] perfice opus tuum. Fac, ut ſpinæ illæ, quibus tempora Salvatoris transfiguntur, divinô ſanguine imbutæ, factique amoris igne inflammatæ, velùti ſagittæ igneæ in omnium corda vibrentur, ſuis ut ea aculeis ſalubriter vulnerent, flammiſque cæleſtibus feliciter accendant.

IV. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Crucem bajulans.*

O Jesu! Quid agis? fractos, laceroſque humeros ponderoſiſſimæ cruci ſub

ſubmittis? imo, impar licet ſis viribus, (præſertim copioſi ſanguinis effuſione penitus exhauſtus) tanto ponderi ferendo, nihilominus incredibili cordis lætitiâ crucem amplecteris, veluti ſponſam â Patre æternô tibi deſtinatam, cujus intenſiſſimo ſemper arſiſti deſiderio, & pro quâ obtinendâ, fruendâque multis (33. annorum ſpatio) ſudoribus, atque laboribus pepercisti.

O ter, quaterque felices, qui tuô, O mi Salvator! exemplô ſuas lubenti animo cruces perferunt!

Symon *Cyrenæus*, qui Tibi in portanda cruce adjutorio fuit, non Te præcedebat, ſed ſubſequebatur. Nimirum Tu, O Jesu! tamquam Ductor noſter ſemper præire amas, ut nos milites tui Te præ oculis habentes, ad cruces noſtras generosè portandas, tuô animemur, & confortemur exemplô.

Concede mihi (quæſo) ô liberaliſſime Redemptor! gratiam iſtam, ut oculos mentis in Te ponderosâ cum cruce præeuntem jugiter dirigens, non ſolum meas cruces, Te Ductorem ſecutus, alacriter geſtem, verùm etiam alios in ſuis crucibus geſtandis pro viribus juvem, non coactione, ſicut *Symon Cyrenæus* Te, O Jesu! juvit, ſed ſpontaneô tui amore, ad ipſos derivatô.

V. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *in Cruce mortuus.*

O JESU! Eximium tuum in nos amorem maximè comprobas, quando ſuper *Calvariæ* montem affixus cruci, poſt extremam trium horarum intervallô cum morte luctam, tandem occumbis, mortales omnes à morte æternâ, tuâ morte, liberans.

O Deus amoris! Quantô hìc pudore ſuffundor? Frequenter quidem animô meditor, ac delibero aliis, ærumnis, oppreſſis ſuccurrere, aſt ubi quid adverſi perferendum ſe obiicit, in executione deficio, leviſſimis crucibus deterreor, & ab aliis opitulandi conſilio divellor.

O IESU! Pro nobis omnibus in cruce moriens! Fac me poſthac cruces ardentiùs, conſtantiùſque amare.

Jam morti proximus teſtamentum tuum condis, animam Patri cæleſti, Matrem perdilecto *Joanni*, corpus tradens telluri. Nihil tibi ſupereſt, præter crucem.

Hanc mihì (quæsò) dones, amabiliſſime Redemptor! priuſquam ſpiritum emittas. Sit crux hæreditas mea; ſit crux tui in me amoris teſſera; Crucem deſidero, crucem amplector, in cruce vivam, in cruce moriar, nedum pro tuâ, IESU! gloriâ,

Digitized by Google

gloriâ, ac ſalute propriâ, verùm etiam pro ſalute aliorum, ad quos amor meus ergà te ſe diffundat oportet.

EXERCITATIO CHARITATIS,

Tertiæ virtutis Theologicæ Ad alteros beatitudinis æternæ capaces ſe diffundentis,

CIRCA

V. MYSTERIA GLORIOSA.

I. MYSTERIUM GLORIOSUM.

IESUS *A morte reſurgens.*

O JESU! Dicam cum Propheta Regio Pſ. 118. *Iniquitatem odiô habui*, proindè *iniquos* omnes, prout iniqui ſunt, idque quia Tu, O bonitas infinita! eos odiô habes, & ut à me etiam odiô habeantur, imperas.

Sed quoniam *nihil odiſti eorum, quæ feciſti*, adeòque neque *iniquos*, prout ſunt creaturæ tuæ rationales, illorum ad Te converſionem, & ſalutem deſide-

de-

Digitized by Google

derans, ſufficientiaque illis auxilia offerens, hinc & ego ipſos (prout æternæ mecum beatitudinis, verâ converſione, & pœnitentiâ mediante, ſunt capaces) omninò ô Jesu! amore tui volo amare.

Quapropter oro Te: largire cunctis iniquis veram illam ad Te converſionem, ac pœnitentiam, quâ delictis ſuis ſecundùm animam mortui, è peccatorum tumulô redivivi reſurgant, ad eum modum, quo Tu ſecundùm corpus in cruce mortuus è monumentô [in quô à *Joſephô* ab *Arimatheâ* poſitus eras] reſurrexiſti: id eſt, ſicut tu, o Jesu! à morte corporali reſuſcitatus, non amplius corporaliter moreris, ita illi non ampliùs ſpiritualiter moriantur, ſed perpetuò vivant, hìc vitâ gratiæ, & in Cælo vitâ gloriæ; Amen.

II. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Jesus *in Cælum aſcendens.*

O Jesu! Tuô rursùs hìc doces exemplô meum in Te amorem ad alteros diffundere.

Enimverò Cælum glorioſus triumphator aſcendis. 1. Ut non meum duntaxat, ſed omnium corda tecum à terrâ in Cælum attollas. 2. Ut ibidem Patrem tuum cæleſtem ſine intermiſſione per paſſionis ac mortis tuæ meritum, non ſolùm pro meâ

meâ, ſed pro aliorum etiam ſalute æternâ interpelles.

Igitur meum quoque eſt, O Iesu! exemplô tuô, nedum propriæ, ſed & aliorum ſaluti diligenter incumbere.

Ac propterea amorem erga Te meum, O Deus amoris! ad omnes omninò tam inimicos, quam amicos extendens, ſatagam deinceps ſalutaribus monitis (ubi, & quandò opportunitas feret) ſemper autem, & ubique *Chriſtianæ* vitæ exemplis, nec non ardentibus ad Te fuſis precibus, omnes à damnabili creaturarum amore ad ſaluriferam tui, O Iesu! dilectionem pertrahere; ut glorioſâ in carne, beneficiô dotis agilitatis Cælum pariter conſcendere aliquandò valeant.

III. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Spiritus Sanctus ad Apoſtolos miſſus.

O Iesu! Utinam non mihi ſoli, ſed omnibus pretioſô ſanguine tuô redemptis ſumma iſta obtingat felicitas, ut cum Matre tuâ chariſſimâ, & dilectis Apoſtolis tuum Spiritum ſanctum recipiamus!

Profectò meus in Te amor, ô bonitas infinita! ad alteros ſe diffundens, urget me, ut Majeſtatem tuam ſuppliciter orandam, ut eundem Spiritum ad omnes mittere

tere digneris, non quidem viſibiliter, ſub ſpecie linguarum ignearum [ſicut illum *Jeroſolymis* die ſacrô *Pentecoſtes* mittebas ad Apoſtolos] vel ſub ſpecie columbæ (ſicut ſuper Te, O Iesu! ipſe deſcendit, cum in jordanis flumine Baptizabaris à *Joanne*) Non: hoc minimè poſtulo. Iſtô viſibili miraculorum genere hodie opus non eſt. Verùm hoc unum enixè peto, ut tibi placeat Spiritum illum inviſibiliter ad omnes mittere, qui (veritatis, ac charitatis ſpiritus cum ſit) mentes omnium cœleſti veritatis luce colluſtret (arctam, quæ ducit ad vitam, demonſtrandô viam) omniumque corda divinô charitatis ardore ſuccendat, quô viam iſtam inoffensô pede decurrentes ad Patriam omnes pertingant æternam.

IV. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Maria *in Cælum Aſſumpta.*

O Iesu! Amor in Te meus potiſſimum ſe diffundit ad ſanctiſſimam Matrem tuam, ſemperque Virginem *Mariam*, quam dote agilitatis in Cælum aſcendere feciſti, poſtquam lethali amoris divini ſagittâ è mediô ſublatam, glorioſè è tumulo ſuſcitaras.

Et quidem jure meritiſſimô meum ſibi poſt te, O Iesu! amorem vendicat Genitrix

nitrix Tua, quæ ſuper omnes homines, angeloſque Tibi in amoribus eſt.

Quò creatura quæpiam Tibi, ô infinita, & amabilisſima bonitas! eſt propinquior, eò plus de tua bonitate, adeòque amabilitate participat. Quæ porrò creatura Tibi propinquior eſt, fuit, aut erit umquam, ac Mater Tua? Evidens igitur eſt ipſam cæteris creaturis de tuâ bonitate plus participare, adeòque amabiliorem eſſe. Quocircà te ô *Maria*! cunctis aliis in amore longè præfero, optôque vehementer, ut fideles omnes intimô animi ſensû te diligant, religiosè honorent, impensè colant, fideliterque tibi ſerviant.

V. MYSTERIUM GLORIOSUM.

MARIA *in Cælo coronata*.

O JESU! Cum inter omnes creaturas longè dignior ſit à me amari ſanctiſſima Virgo *Maria* Mater tua, maximô ſanè perfundor gaudio, quandò eam cum corpore, & animâ in Cælum aſſumptam, à te Filio ſuô Cælorum Reginam cælicâ pompâ inaugurari mente conſpicio.

Milliès, ac milliès filiali tibi affectû, ô *Maria*! incomparabilem illam dignitatem, honoremque ſingulariſſimum gratulor.

Digitized by Google

O Inaugurata Cælorum Regina, ſuper *Cherubinos*, & *Zeraphinos* in cæleſti palatio exaltata! amor (quô alteros homines in terra viventes propter Filium tuum complector) incitat, urgetque me, ut tuum apud Jesum implorem pro illis omnibus patrocinium; quô nimirum hìc eximium & prædominantem ergà ipſum, ceu bonum infinitum, amorem, & fulgentiorem in cæleſti Patria coronam obtineant.

EXERCITATIO VIRTUTIS HUMILITATIS, CIRCA V. MYSTERIA GAUDIOSA.

I. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

Jesus *ab Angelo* Gabriele Mariæ *Annuntiatus*.

O Sanctiſſima Trinitas, unus Deus! Egone auſim in conſpectum tuum venire, & cum divina Majeſtate tua ſermonem conferre? Ego, inquam, qui non ſum

Digitized by Google

ſum niſi terra, & cinis, & [quod longè deterius eſt] peccatorum omnium maximus?

Porrò circa 1. Myſterium gaudioſum, ſtupor me rei admiratione defigit, dum attentiùs conſiderô, O Jesu! præclariſſimum humilitatis exemplum, quod humanam aſſumendô naturam mihi exhibere dignaris.

Quid? Tu Rex immenſæ gloriæ, Deus verus de Deô verô [quem *Cherubini*, & *Zeraphini*, ex reverentiâ, tectâ alis facie proni adorant] eo uſque te demittis, ut minimô etiam Angelô minor effici velis, ſiquidem natura humana, quam aſſumis, ex anima & corpore conſtat, Angeli verò omnes puri ſpiritus ſunt, corporis expertes!

Imò (quod magis mirandum) *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horres virginis uterum*, in eoque veluti tenebroſô, moleſtiſſimôque carcere novem menſium intervallô incluſus remanes!

O humilitatem prorſus inauditam! ô exinanitionem, & (ſi ita loqui fas eſt) *annihilationem* planè ſtupendam, & adorandam veri Dei, creatam ſibi hypoſtaticè unientis naturam, quæ increatæ naturæ comparata pro *nihilô* jure habenda eſt.

II. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

MARIA ELIZABETHAM *Viſitans.*

O IESU! Quam ſingulare hìc mihi rurſùs humilitatis exemplum præbes, quando Filius naturalis cum ſis æterni Patris, unus cum ipſo Deus, in virgineo MARIÆ uterô factus homo, in eôque etiamnum concluſus, ad *Joannem Zachariæ* Filium, in uterô quoque Matris ſuæ *Elizabethæ* exiſtentem, à Virgine Matre tuâ transferri vis, eô fine, ut ipſum à noxæ originalis labe expurgatum in Dei Filium, atque hæredem adoptes?

O *Maria*! Tu quoque eximiô humilitatis exemplô, ad eandem me virtutem amandam, exercendamque efficaciter provocas; tum in primo myſteriô gaudioſô, *ancillam Domini* te ipſa nominans, dum ejus *Mater* efficeris: tum in alterô *Elizabetham* cognatam tuam inviſens, eique famularem præſtans operam, dum ipſum Dominum Dominantium in ventre portas.

O IESU! O *Maria*! ardenti teneor deſideriô, ad eximia illâ humilitatis veſtræ exempla ſtudioſè imitanda; nedum ſuperioribus, æqualibuſve, verùm etiam ipſis inferioribus, omni animi demiſſione, ſpiritualia, corporeaque miniſteria lubenter exhibendô.

Obtine

Obtine mihi [quæſo] O Mater Dei! à Filio tuo gratiam deſiderio iſti adimplendo neceſſariam!

III. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in ſtabulo* BETHLEEMITICO *ex Virgine natus.*

O IESU! Quam pulchra, ac ſalutaria mihi hìc de humilitate documenta ob oculos ponis?

Unicus es Dei Patris Filius, ex ejus ſubſtantia ab æternô genitus Deus: & ex ſubſtantia Matris in tempore naſceris homo! & ubi locorum naſceris? An in palatio regali? minimè. Imò nè exiguus quidem in diverſoriô Matri tuæ partui Virgineo proximæ locus eſt. Stabulum, pecudum habitaculum, ſubîre cogitur. Ibi naſceris Cæli & Terræ Dominator; natuſque non in aureis, argenteiſve cunis, ſuper plumeam culcitam, ſed ligneo aut lapideô in præſepio ſuper pauxillum fæni reclinaris.

O IESU! O Magiſter cæleſtis! quàm verè dixiſti in Evangelio: *diſcite a Me, quia humilis ſum corde*! jam indè ab exordio nativitatis tuæ ex Virgine omnem mundi gloriam nullô a te in pretio haberi clariſſimè demonſtras. Largire mihi (obſecro) ut & ego tuô exemplô, tuique amore illam floccifaciam.

IV.

IV. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in Templo oblatus.*

O JESU! Singularis Matris tuæ *Mariæ* humilitas magnoperè hìc iterum emicat, quandò diebus purgationis mulierum parientium finitis, ipſa ſe *Jeroſolymam* confert, & ceu mulier immunda templum mundanda ingreditur, quæ *non ex virili ſemine, ſed myſticô ſpiramine* Te concepit & peperit, ante, in, & poſt partum inviolata, & intacta ſemper Virgo.

O humilitatem Dei genitricis *Mariæ* ſat dignis numquam laudibus efferendam!

Quantô, prô dolor! exemplum illud humilitatis Virginis-Matris mè pudore ſuffundit? Me, inquam, qui, vilis licet homuncio, ab omnibus æſtimari appeto, & [quod tibi O JESU! humilitatis Magiſtro, & amatori plùs diſplicet] maximus cum ſim peccator, ſanctus audire, & uti talis, eximiis laudum præconiis deprædicari geſtio.

O ſuperbiam hominis peccatoris planè deteſtandam, & execrandam!

O JESU! Fac me (obſecro) humilem corde.

V. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

Jesus *in Templo inter Doctores repertus.*

O Jesu! Tu ipſa es infinita Patris æterni ſapientia, cui nedùm ſapientiſſimus Salomon, omneſque in terra ſapientes, ſed ipſi etiam *Cherubini* in Cælis cunctam ſuam ſapientiam acceptam referre debent.

Tu Doctor es Doctorum, univerſos Angelos, homineſque ſapientiâ infinitiès plùs antecellens, quàm lux ſolis antecellit lucem omnium ſtellarum.

Et tamen, O res omni admiratione digniſſima! minùs ſapiens, indoctuſque haberi ambis, quandò à *Maria* & *Joſephô Jeroſolymis in Templo ſedens in medio Doctorum, audiens illos, & interrogans eos* reperiris, quaſi verò *Judaicæ Synagogæ* ſapientum inſtructione indigêres.

O Jesu humilliime! Quam longè ab humilitate tua remotus ſum? Stupidus cum ſim, & ignorans valdè, rerum humanarum, divinarumque notitiâ inſigniter imbutus videri amo.

Da mihi [obſecro] ò amantiſſime Salvator! ut ne doctior, aut ſapientior, ac reverâ ſum, ab ullô unquam haberi appetam.

E X-

Digitized by Google

EXERCITATIO VIRTUTIS HUMILITATIS, CIRCA V. MYSTERIA DOLOROSA.

I. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *in Hortô* OLYVARUM *uſque ad mortem contriſtatus.*

O JESU! Tua rurſus humilitas meam hìc confundit ſuperbiam. Tu unus cum Patre, & Spiritu ſancto es Deus, Majeſtas infinita! & nihilominus in horto *Olyvarum* adeò profundè ſecundum humanitatem te demittis, ut non humi dumtaxat procumbens Patrem tuum cæleſtem pronus adores: ſed inſuper tam acerbum in animô tuô doloris, angoriſque ſenſum ſpontaneè excites, ut triſteris uſque ad mortem, ſanguiniſque ſudor è corpore copiosè emiſſus in terram decurrat.

Quid hoc, O IESU! portenti eſt? jam indè à primô conceptionis tuæ in Virgi-

neô

Digitized by Google

neô Matris uterô ardentiſſimis votis pati pro nobis, ac in cruce mori indeſinenter exoptaſti. Cur igitur nunc adeò triſtis, & anxius es, cum exoptatiſſimæ paſſionis, & mortis tempus advênit? Ut nimirùm te verum hominem, æquè ac Deum eſſe evidenter oſtendas, humanis affectionibus (quales ſunt ſenſibilis dolor, & angor) te ipſe lubenter permittis: ità nos virtutem humilitatis tuô exemplô dôcens.

O quam potiori jure mihi puro homini, & miſero peccatori incumbit, quidquid humanum eſt, à me non alienum putare, defectuſque meos, ac peccata ingenuè fateri.

II. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *à Pilati militibus flagellatus.*

O Jesu! Creſcente in ſecundô *Myſteriô* doloroſô infinitæ Majeſtatis tuæ contemptiône, creſcit & mea de propriæ vilitatis elatione erubeſcentia.

Enimverò in hortô quidem *Olyvarum* ceu malefactor à *Judæis* comprehenſus per *Jeroſolymæ* compita ad diverſa raptus es tribunalia, *Cayphæ* videlicet, *Pilati*, & *Herodis*, ubique & ab omnibus contemptui habitus, præſertim ab *Herode*, qui te, veluti fatuum veſte alba (fatuorum tunc amictû) indutum ad *Pilatum* remiſit.

Digitized by Google

Aſt in domô *Pilati* majorem in contemptum adduceris; nedum à judaicâ plebe *Barrabæ* poſtpoſitus, lux tenebris, æquitas iniquitati, Filius Dei filio diaboli; verùm etiam à *Romanô* Præſide *Pilatô* ad flagella (inſigniter flagitioſorum pænam) damnatus.

O Iesu eximiæ humilitatis amator! qui cunctas ignominias, contumelias, comtemptiones divinæ tuæ perſonæ illatas læto pro me animo pertuliſti, largire mihi [amabo te] gratiam, quâ omnia ludibria, vilipenſiones, opprobria mihi peccatori maximo inferenda, amore tui, lubens amplectar, ac generosè ſuſtineam.

III. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Spinis coronatus.*

O Jesu! Haud ſatis erat tuo in me amori in ſecundô *Myſteriô* doloroſô, diris flagellis, ceu inſigniter flagitioſum, fuiſſe cæſum. In hocce præterea Regis inſtar *Theatralis* inaugurari amas.

Homo iſte [inquiunt ad invicem *Pilati* milites] arrogantiâ inflatus Regem ſeſe jactavit *Judæorum*: proindè eum uti Regem pro meritis inauguremus. Hôc dictô mox, ô Jesu, veriſſimè *Judæorum*, & *gentium* Rex! ſuper durum te lapidem ſedêre jubent. Hìc lapis tibi pro Throno

Regali

Regali eſt. Capiti tuo coronam ex ſpinis contextam imponunt. Hæc corona tibi pro diademate Regio deſtinatur. In manum vilem intrudunt arundinem Hæc arundo tibi pro Sceptro regali offertur. Humeris tuis coccineam chlamydem laceram appendunt. Hæc chlamys pro regali tibi paludamento deſervit.

Denique lictores in genua procumbentes, per ludibrium, Tibi dicunt. *Ave Rex Judæorum.*

O Jesu! Rex vere, ſponſeque cordis mei amantiſſime! ubi divinam Majeſtatem tuam tam fœdè, amore mei, contemni diligentius animadverto, non poſſum non cum mellifluô *Bernardo* exclamare: *Quantò pro me vilior, tantò mihi carior!*

IV. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Crucem Bajulans.*

O Jesu! Tua ſingulariſſima humilitas magis, ac magis elucet; quandò ponderoſiſſimâ crucis trabe onuſtus, per publica *Jeroſolymæ* compita greſſu quidem debili, ſed mente alacri ad montem *Calvariæ*, vitam pro nobis profuſurus, progrederis.

Eheu! quot injuriarum horrendiſſimarum plauſtra in Te, ô Fili Dei vivi! non exonerat fex *Judæorum*? Auribus perci-

Digitized by Google

pere videor, non ſine ingenti cordis horrore ac mærore, haſce, ſimileſve blaſphemantium voces: Ecce fabri Filium, crucem humeris geſtantem, ex qua ſuſpendi inſignibus facinoribus centies promeritùs eſt! Ecce falſum Prophetam, ſeductorem populi, ambitione turgidum, magumque, qui cenſum Cæſari dari prohibuit, qui ſe Regem jactavit *Judæorum*, qui in virtute *Beelzebub* Principis Dæmoniorum dæmonia ejecit!

O Jesu! ô ſumme humilitatis amator! ardentiùs concupiviſti ſemper ſaturari opprobriis. An modò ſatur es? Necdum profectò: ſupereſt namque etiamnum [quæ ardentiſſima tua vota pleniſſimè expleat] in cruce ſubeunda mors, ſicut aliis mortis generibus doloroſior, ita & ignominioſior, probroſiorque.

Age igitur, ô mi dilectiſſime Salvator! iter tuum maximè afflictivum verſùs *Calvariæ* montem proſequere. Ego (etſi intolerabilis arrogantiæ meæ, ac ſuperbiæ pudore ſuffusus) Te ſequar, ut (priuſquam ſpiritum emittas) à cruci affixô ſcelerum meorum veniam ſupplex deprecer.

V. MYSTERIUM DOLOROSUM.
Jesus *in Cruce mortuus.*

O Jesu! Quàm doloroſum, ignominioſumque hìc oculis mentis meæ ſeſe offert ſpectaculum? Tu

Tu Filius Dei vivi, ipſa innocentia, nos inter latrones, ceu latronum Princeps, cruci diris clavis affligeris! ô illam divinæ tuæ Perſonæ contemptionem maximè execrandam!

Quid? In conſpectu innumeræ multitudinis, (quæ ad Feſta Paſchalia celebranda undique *Jeroſolymam* convenerat) è patibulo veluti ſceleratorum omnium ſceleratiſſimum ſuſpendi, in eôque morte turpiſſimâ plecti! An gravior poſſit in Deum hominem contemptio excogitari?

Ad hæc: in cruce animam agens atrociſſimis laceſceris convitiis; contumeliiſque exagitaris.

Principes namque Sacerdotum, nec non *Scribæ* & *Phariſæi* illudentes clamitant: *Alios ſalvos fecit: ſe ipſum non poteſt ſalvum facere. Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Matt. 27. v. 42.*

Verùm ô JESU! ardentiſſime humilitatis amator! longè potius eligis in cruce cruentam, ignominioſamque mortem oppetere, quàm è cruce deſcendendo ab horrendiſſimis convitiis, contumeliiſque adorandam tuam Perſonam liberare.

Concede mihi [quæſo] gratiam, quâ ignominioſa, & probroſa quæque, ſive in vitâ, ſive in morte lubenter, amore tui, perferam.

Digitized by Google

EXERCITATIO VIRTUTIS HUMILITATIS, CIRCA V. MYSTERIA GLORIOSA.

I. MYSTERIUM GLORIOSUM.

IESUS *A morte reſurgens.*

O IESU! Ardentiori humilitatis amore incendor, in hoc primò myſteriò glorioſò attentiùs perpendens virtutem iſtam tam munificè in Te remuneratam.

Superbiâ, & ambitione turgidus Monarcha terrenus fallacem mundanæ pompæ ſplendorem auguſtiſſimò in Thronò oſtentat, eum paulò poſt anguſtiſſimo in tùmulo ſub fruſto nigri marmoris reconditurus, cum hac triſti inſcriptione: *Hìc jacet* &c.

Sed tu, O JESU, Rex Regum, & Domine Dominantium! veracem divinitatis tuæ ſplendorem in cruce moriens occultaſti. Propter eà Angelus piis te in ſe-

ſepulcho quærentibus mulieribus apparens, locô mæſti lemmatis, *Hìc jacet* &c. Lætiſſimum iſtud, *ſurrexit*, *non eſt hìc*, cæleſti voce annuntiat.

Ità nimirum, ò dilectiſſime Salvator! qui hìc inſtar noviſſimi virorum vixiſti, & mortuus es, opprobrium hominum factus, & abjectio plebis, hodiè in prodigioſæ humilitatis tuæ præmium, glorioſiſſimâ reſurrectione ſuper omnes mortales elevatus, de hoſtibus plenè ſubactis ineffabili gaudiô triumphator exultas.

Intimô animi ſenſû Tibi, ô gloriſiſſiome Jesu! congratulor, precorque ſupplex, ut humilitatis tuæ particeps hìc effectus, glorioſæ tuæ reſurrectionis quoque particeps aliquandò fiam.

II. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Jesus *in Cælum aſcendens.*

O Jesu! Quàm ex votô meô res tuæ feliciſſimè immutatæ ſunt! die veneris ſanctô duos inter latrones è cruce pendebas medius, ceu mortalium flagitioſiſſimus: hodiè in Cælum aſcendis, multis cæleſtium Spirituum millionibus, cunctiſque veterum Patrum animabus beatis ſtipatus, ceu Angelorum, hominumque victor glorioſiſſimus.

In cruce cùm morte luctans atrociſſi-

Digitized by Google

mis proſcindebaris convitiis, nunc ad paternæ dexteræ conceſſum ſublimatus, ſummis in Cælo laudibus honoraris.

Hæc ſcilicet, ô humillime Redemptor! tuæ maximæ humilitati copioſa merces debebatur. Ait namque Apoſtolus tuus ad *Philipp*: c. 2. v. 8.: Quod (quia *humiliaſti temet ipſum*, *factus obediens uſque ad mortem*, *mortem autem Crucis*, *Deus* Pater tuus cæleſtis, *exaltavit te*, & *donavit tibi nomen*, *quod eſt ſuper omne nomen*, *ut in nomine tuo*, ô JESU! *omne genu flectatur*, *cæleſtium*, *terreſtrium*, & *infernorum*, *quia* tu *Domine* JESU CHRISTE *in gloria es Dei Patris.*

O dulciſſime Salvator! aſpiciens tuas abjectiones, depreſſioneſque adeò liberaliter remuneratas, exclamo cùm eodem Apoſtolo tuo ad *Gal.* c. 6. v. 4. *Mihi autem abſit gloriari*, *niſi in cruce*, opprobriis, deriſionibus, convitiis, contumeliis, ignominiis *Domini noſtri* JESU CHRISTI: *per quem mihi mundus crucifixus eſt*, & *ego mundo.*

III. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Spiritus Sanctus ad Apoſtolos miſſus.

O JESU! Nova hîc ad virtutem humilitatis me impellunt motiva, dùm ſacratiſſimo die Pentecoſtes Spiritum ſanctum

ctum ad Apoſtolos in ſpecie viſibili mittere dignaris.

Enimverò, obſervo primò, divinæ Charitatis augmentum, aliaque dona cæleſtia per eundem Spiritum Apoſtolis collata, tuæ eſſe fructus humilitatis, ſiquidem illa, opprobriis, contemptionibus, ipsâque crucis nece ſponte ſuſceptis promeritus fuiſti.

Obſervo ſecundò, Apoſtolos (qui, Te adhuc cum ipſis in terra degente, ſuperbiæ, & ambitionis ſtimulis agitabantur, *contendentes, quis eorum videretur eſſe major*, *Luc.* 22. *v.* 24.) Spiritu ſanctô miſsô tam humiles evaſiſſe, ut nihil ambîrent ardentiùs, quam exemplô tuô hìc vilipendi, & contemni; ſicut (quemadmodum Acta Apoſtolorum Cap. 5. v. 41. teſtantur) juſſu Principis Sacerdotum flagellis, aut fuſtibus cæſi, *ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine tuo*, ô Jesu! *contumeliam pati.*

O Utinam & ego, dilectiſſime Salvator! dignus ſim, amore tui, deſpicatui, & contemptui haberi!

IV. MYSTERIUM GLORIOSUM. Maria *in Cælum Aſſumpta.*

O Jesu! quàm hìc verum eſſe comprobatur celebre iſtud tuum enuntiatum

tiatum *Lucæ* 14. v. 11. *Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Enimverò, *Lucifer*, Cæleſtium Spirituum ex nihilo conditus à Deo Princeps, quod nihili ſui oblitus ſuperbè ſe exaltavit, dicens *Iſaiæ* 14. *v.* 14. *Similis ero Altiſſimo*; è Cælo *ad infernum detractus eſt in profundum laci*, *v.* 15.

Mariâ ex adversò Mater tua, quod nihili ſui non immemor demiſsè ſe humiliavit, ancillam ſe Domini nominans, cum Ejus Mater efficiebatur, poſt mortem cum corpore & anima in Cælum aſſumpta eſt.

Et quòd, à cognatâ ſuâ *Elizabeth* laudata, omnem laudem Deo adſcripſit, dicens, *Magnificat anima mea Dominum* .. *quia reſpexit humilitatem*, id eſt, vilitatem, *ancillæ ſuæ*, in Cælo exaltata eſt ſuper cunctos Angelorum Choros.

O Jesu! A te maximoperè poſtulo, ut exemplô Matris tuæ in omnibus me humilians, tuamquè unicè gloriam quærens, cum ipsâ in Cælo exaltari merear.

V. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Maria *in Cælo coronata.*

O Iesu! Eximia genitricis tuæ *Mariæ* humilitas ſummi hìc honoris præmium

mium refert: ſiquidem non tibi ſatis erat, ô humilitatis amator, ac præmiator! corpus *Mariæ*, vitâ mortali functæ, corruptionis expers ſervare, eamque cum anima & corpore in Cælum aſſumptam ſuper Zeraphinos evehere: inſuper ipſam ceu Cælorum Reginam cæleſti exornas diademate, omnium beatarum mentiùm coronis fulgore longè præeminente: quô nimirùm deſignatur, eſſentiam tuam divinam ab ipsâ incomparabiliter multò videri clariùs, amari ferventiùs, poſſideri perfectiùs, quam ab aliis cælitibus, eamque ipſis ceu Reginam in Cælo imperare.

O *Maria*! Ne leviſſimi quidem peccati nævô animam tuam maculaſti umquam; Virgo-Mater es Hominis-Dei; & tamen tibi ipſâ vilis ſemper fuiſti, & aliis vilis eſſe (amore & exemplô Filii tui) ardenter concupiviſti.

Obtine mihi (quæſo) tuâ apud JESUM interceſſione gratiam, quâ ego maximus peccator me ipſe deſpiciam, atque contemnam, & ab aliis etiam deſpici contemnique amem.

F I N I S.

EXERCITATIO VIRTUTIS PAUPERTATIS, CIRCA V. MYSTERIA GAUDIOSA.

JESUS *ab Angelo* GABRIELE MARIÆ *Virgini Annuntiatus.*

O Sanctiſſima Trinitas, Unus Deus! æternô ſtatuiſti decretô Angelos, hominesque ſpiritû pauperes immenſis in Cælô ditare Theſauris; juxtà CHRISTI promiſſum *Matth.* 5. *v.* 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.*

In primô autem Myſteriô gaudiosô, perfectum mihi, O IESU! paupertatis ſpiritus exemplum præbes, dum ex infinitè divite pro me egenus efficeris; humanam naturam aſſumens ex Virgine paupere, ſponsâ pauperis Fabri, qui in ſudore vultus ſui, neceſſaria tibi corporis comparavit.

Tua, ô dilectiſſime Salvator! pauper-

tas

tas voluntaria docet me terrenas floccifacere, & aſpernari divitias cum Apoſtolo tuo 1. *Tim.* 6. v. 7. dicente,

Nihil intulimus in hunc mundùm: haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.

O Clementiſſime JESU! oro Te, obteſtorque ſuppliciter, ut me à laqueô illô peſſimô liberare digneris.

II. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

ELIZABETH à MARIA *Viſitata.*

O JESU! Hìc etiam eximius paupertatis amor in Perſona tuâ divina imprimìs eluceſcit, quando Matri tuæ tenerrimæ virgunculæ inſpiras, ut cognatam ſuam *Elizabetham* inviſendi ergò iter per aſperos *Judeæ* montes pedibus, & abſque comitatu capeſcat, conficiatque.

O rem admiratione dignam! ſi amore noſtri, ò Fili Dei, homo fieri volens, pauperculam Virginem in Matrem eligis, cur eam de paupere divitem non facis, & opulentam? Cur Ei iter arripienti de omnibus [quæ dignitatem Matris Dei decent] non abundè providès?

Maria tanquam genetrix tua, jure Cæli,

li, terræque Reginæ titulo inſignitur: Cur igitur ipſi in itinere honorarium lectiſſimarum matronarum comitatum non adjungis? Cùr non ipſi rhêdam pretioſam, ac deauratam procuras, quâ ſex vel pluribus generoſis ac phaleratis equis per difficillimas montium ſemitas commodè æquè ac honorificè ad ædes *Zachariæ*, & *Elizabethæ* vehatur?

Aſt hæc tuo, ô Jesu! paupertatis amori haud conſentanea ſunt.

Næ terrenis nimiùm affixa es divitiis, ò anima mea! ſi maxima illa Salvatoris tui in paupertatem propenſio cor tuum ab iis avellere nequeat!

III. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

Jesus *in ſtabulo* Bethlee-mitico *Natus*.

O Jesu! Admirandum tuum erga paupertatem amorem ſemper magis, magiſque oſtendis: Nam *Nazarheti* in anguſta domunculâ, à *Maria*, & *Joſeph* inhabitatâ (quæ poſt plura ſæcula Angelorum Miniſterio *Lorbetum Italiæ* oppidulum tranſportata fuit) humanam Perſonæ tuæ divinæ univiſti naturam: aſt in locum tuæ ex paupercùlâ Virgine nativitatis locum, *Bethleëmi* ſtabulum eligis pauperrimum.

Ibidem vix in lucem editus, vilibus invol-

volveris panniculis ; ſuper pauxillum fœni in præſepio reclinaris ; rerumque omnium inopiâ laboras.

O Cœli, & terra tantâ Filii Dei, parvuli recenter nati, paupertate meritò obſtupeſcite!

Hanc quidem, ô dilectiſſime Jesu! tuam ex paupere virguncula nativitatem, nedum pauperculis pecudum paſtoribus (Angeli voce) ſed etiam prædivitibus ex *Oriente* Magis (ſtellâ Cælô radiante) declaraſti: Aſt unicus tibi ſcopus erat, tuæ omninò ſtupendæ paupertatis exemplô, terrenarum contemptum divitiarum efficaciter ipſis perſuadêre

O Jesu! Fac, ut & ego terrenas ex animô deſpiciam, aſpernerque divitias, neceſſariô victû, & amictû apprimè contentus.

IV. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

Jesus *in Templo oblatus.*

O Iesu! Quid movet genitricem tuam *Mariam*, dum Te infantem ſuum divinum in Templo *Jeroſolymitano* Patri tuo cæleſti offert, ut pro ſe ipſa non agnum anniculum (divitum donum) ſed par columbarum [munuſculum pauperum] offerat?

Non aliud profectò, quam eximius pau-

paupertatis, paupertatique conjunctæ abjectionis amor. Filii Propenſiones Matrum cum lacte combibere ſolent. Sed Tu è contrariò, ô *Maria* Mater IESU! maximam Filii tui erga paupertatem propenſionem nacta es. Procul dubio ſponſus tuus *Joſephus*, agnum anniculum [quem offerres] facilè procuraſſet, ſi id tibi haud fuiſſet ingratum.

Verùm exemplò Filii tui, prò paupere, (uti reverà eras) ab hominibus reputari potiùs, & abjectionem paupertatis ſociam amplecti elegiſti.

O *Maria*! quantoperè tibi ſum diſſimilis? Pauper quidem ſum, rerum omnium inopiâ laboro, aſt invitus: ac inſuper paupertatem meam (quantùm poſſum) occultare ſtudeo, ut ne ab amatoribus ſeculi, divitiarum terrenarum æſtimatoribus, abiiciar, deſpiciarque.

Obtine mihi (obſecro) lumen cælitus immiſſum, quò clarè perſpiciam, gratiſſimum eſſe Filio tuo JESU, quod hîc cum ipsô ac tecum pauper ſim, & uti talis lubenter ab hominibus habear, ac contemnar.

V. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in Templo inter Doctores repertus.*

O IESU! Cur (amabo) cum Matre tua *Maria*, & Patre nutritiò *Joſephô Na-*

Digitized by Google

zarbetô abiens *Jeroſolymam*, Feſta Paſchalia celebrandi cauſâ, puerulus 12. annorum, iter pedibus ſuſcipis, atque conficis?

Nonnè Cæli, terræque Dominus es, & Monarcha ſupremus? Cur igitur non commodô, pretioſôque curru, te unà cum *Maria*, & *Joſepho Jeroſolymam* vehi, & revehi jubes? Hôc pactô parentes tui *Nazarbetum* redeuntes, te cordis ſui delicium, non amittent in viâ, amiſſumque dolentes triduô te quærere haud debebunt.

Sed mavis ô JESU! propenſioni tuæ erga paupertatem (iter pedibus in tam tenerâ ætate conficiendô) obſequi, quàm ſummum Chariſſimæ Matris tuæ, ejuſque ſponſi ex tui amiſſione dolorem non permittere

Ad hæc: trium illorum dierum intervallô, quô *Maria*, & *Joſeph* Te amiſſum quærebant dolentes, victum tibi veroſimiliùs oſtiatim emendicaſti, juxtà illud *Pſalmi* 39 v. 23. *Ego autem mendicus ſum, & pauper.*

O mi dilectiſſime JESU! quantô paupertas tua voluntaria me pudore ſuffundit?

Mihi quidem neque currus, neque equi ſuppetunt, ſed eheu! non paupertatis amor, ſed temporalium mediorum defectus (quem invitus patior) illis me privat

com-

commodis. Rê ipsâ egenus ſum, fame, ſitique graviter non rarò premor, at quià non ſum egenus ſpiritu, victum, ò Salvator! tecum mendicatô quærere erubeſco.

EXERCITATIO PAUPERTATIS SPIRITUS, CIRCA V. Myſteria Doloroſa.

I. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *in Hortô* OLYVARUM *triſtis uſque ad mortem.*

O JESU! novô hìc, efficaciſſimôque tuam ſpiritus paupertatem comprobas argumentô. Quod namque in horto *Olyvarum* captus, vinctuſque ſis, tuæ ergà paupertatem propenſioni adſcribendum eſt.

Enimverò, ſi numerosâ cohorte prætoriâ [prout Majeſtatem tuam infinitam decebat quàm maximè] ſtipatus fuiſſes, milites ab impiis *Judæorum* Sacerdotibus, ſcri-

ſcribiſque ſubornati, impias in divinam tuam Perſonam manus iniicere non fuiſſent auſi –

Tu ipſe, O Jesu! *Matth.* 26 v. 53. Dixiſti: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum?* Ad Te nimirum, O Salvator! è manibus inimicorum liberandum, ſi liberari voluiſſes.

Sed nimius, quò paupertatem deperibas, amor, ardenſque, me captivitate innocentiſſimæ tuæ Perſonæ, ab æterna dæmonis captivitate eruendi deſiderium, haud tibi indulſit à Patre tuo cæleſti id poſtulare.

II. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *A* Pilati *militibus flagellatus*.

O Jesu! Numquam invidi *Judæorum* Sacerdotes ac Scribæ, apud *Romanum* Præſidem *Pilatum* de tot, tamque enormibus facinoribus te accuſaſſent, puta de falsâ ac perversâ Doctrinâ, de ſeductione plebis, de contemptu Cæſaris, de affectatâ regia dignitate, de commerciò cum *Beelzebub* dæmoniorum principe, ſi in hôc mundò non pauper, ac temporalium rerum præſidio deſtitutus appare-

re

Digitized by Google

re voluiſſes, ubi tamen ex arbitriô tuô erat plures cæleſtium ſpirituum milliones in defenſionem evocare, quorùm vel unus, cunctorum hoſtium tuorum violentiæ penitus comprimendæ plus quàm ſufficiens erat.

Sed vehemens tuus paupertatis amor lubenter patitur, ut non ſolùm graviſſimorum criminum apud *Pilatum* à *Judæis* falsò accuſeris, verùm etiam, ut ab iniquiſſimo illo judice flagellationis injuſtè damneris: quâ ab immitibus lictoribus copioſiſſimus è venis tuis ſanguis extrahitur, cujus ultimam brevi guttam pro ſalute noſtra in cruce effundes.

Ità nimirùm, ut nos cæleſtibus æternùm theſauris ditares, non bonorum fortunæ dumtaxat, ſed totiùs etiam ſanguinis tui pretioſiſſimi inops fieri voluiſti.

O Jesu! Spiritum paupertatis (quæſo) mihi abundè infundere digneris.

III. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Spinis coronatus.*

O Jesu! Quot ſplendoris radios hìc diffundit tua ſingulariſſima paupertas, quibus eximium hujus virtutis pretium, pleriſque ignotum, manifeſtè oſtenditur, dum à *Pilati* militibus ludicrâ pompâ & apparatu pauperrimô Rex inaugurâris?

Enim-

Enimverò, Tibi ceu verò Cæli, terræque Monarchæ Thronus ex puriſſimô aurô ſaphyris coöpertus debetur: & ſedere juberis ſuper vili, durôque lapide. Paludamentum ex pretioſiſſima materia monilibus reſperſum exigit regia tua dignitas: & chlamide coccineâ tritâ, ac lacerâ veſtiris. Sceptrum item ex auro mundiſſimo tibi convenit: & in manum traditur vilis arundo. Denique diadema regium tibi quadrat fulgentiſſimis contextum adamantibus: & ſpineâ tibi Caput coronâ redimîtur.

O Iesu, Cæli, terræque Monarcha [non minùs paupere, quàm ludicrâ à *Pilati* militibus pompâ] inaugurate! maximô afficior pudore, quòd ego, nullius pretii homo, terrenas divitias perditè amen, ubi Majeſtatem tuam divinam tantâ, amore mei, egeſtate afflictam contemplor.

Vehementi etiam me horrore percellit tua iſta ô Salvator! perquam terribilis comminatio *Luc* 6. *v.* 24 *Væ vobis divitibus*, [quibus copioſæ opes terrenæ pro idolô ſunt] *quià habetis hìc conſolationem veſtram!*

IV. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Crucem bajulans.*

O Jesu! Pergis altisſimæ mihi paupertatis exemplô prælucêre, dum ponderosâ crucis trabe prægravatus ad montem *Calvariæ* progrederis.

O amantisſime Salvator! cum dives eſſes, propter nos egenus factus es, naturam humanam ex paupere virguncula aſſumens! unde *Pilato* dicebas, quod regnum tuum non eſſet de hoc mundo. Sed etſi ante mortis ſententiam ab injuſtisſimo judice adverſùs Te prolatam omni copiarum genere abundaſſes, totiuſque mundi ditiſſimus extitiſſes, (virtute feralis ſententiæ bonis tuis omnibus fiſco adjudicatis) crucem ceu cunctorum pauperum pauperrimus bajulaſſes

Verùm, quoniam jam inde à nativitate tua in ſtabulo *Bethleëmiticô*, totô vitæ decurſu perquàm pauper eſſe elegiſti, quid aliud (amabo) agis, crucem, damnatus necis, bajulando, niſi in ſummâ perſiſtere paupertate, quam mox in cruce occumbens perfectisſimè conſummabis?

O Jesu! Hoc gratiæ largiri digneris omnibus bonorum fortunæ inopiâ afflictis, ut gravem admodum egeſtatis crucem

cem, tuô exemplô, tuique amore, ſi non gaudenter, ſaltem patienter ferant.

V. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *In cruce mortuus.*

O JESU! Extremæ tuæ egeſtati nudus in cruce moriens, maximi meriti imponis coronydem; cum veriſſimè tibi jam dicere liceat iſtud *Matt.* 8. v. 20. *Vulpes foveas habent, & volucres Cæli nidos, Filius autem hominis, non habet, ubi caput reclinet.* Non enim alius tibi lectulus, nec aliud cervical, ſuper quô caput tuum reclines, præter crucem durisſimam ſupereſt.

Ad hæc: ardentisſimam tibi in cruce ſitim patienti, non, more divitum pretioſa Phiola exquiſitis, ſapidiſque liquoribus referta ebibenda offertur, ſed ſpongia inſipidô acetô plena, qualis potio ne pauperrimo quidem mendicabulo ad ſitim levandam præbêri ſolet.

O JESU! totus hìc præ verecundiâ rubore ſuffundor, me ab exemplô paupertatis tuæ imitandô remotiſſimum conſpiciens.

Siquidem Tu Dominus meus es, & ego mancipium tuum. An non turpiſſima & minimè ferenda res eſt, ut, ubi Dominus terrenas tantoperè aſpernatur divitias

tias, mancipium eas tam ardenter concupiſcat?

O Magiſter cæleſtis! Utinam animo meo fortiter impreſſa jugiter maneat ſententia tua divina *Matth* 5. v. 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.*

EXERCITATIO PAUPERTATIS SPIRITUS, CIRCA V. MYSTERIA GLORIOSA.

I. MYSTERIUM GLORIOSUM.

JESUS *à morte reſurgens.*

O JESU! Rerum omnium inopiâ (quâ vivens, ac moriens, amore Patris æterni, ac noſtrî, hîc maximè premi voluiſti) cæleſtem gloriam, ſempiternaſque divitias es promeritus, non quidem animæ tuæ (hæc enim jam inde à creatione ſua donis illis pleniſſimè prædita fuit) ſed corpori tuo, quod tertiâ poſt mortem die glo-

Digitized by Google

glorioſum è tumulo reſurgens, eximiô ſuô ſplendore cæterorum corporum glorioſorum ſplendorem longè plus ſuperat, quàm lux ſolis lucem ſuperat omnium aſtrorum.

Hôc pactô, O amantisſime Salvator! in anteactis nativitatis, vitæ, paſſiônis, ac mortis tuæ myſteriis ad paupertatis amorem me tuô excitaſti exemplô, in hoc autem primô gloriosô Myſteriô, ad egeſtatem tuam imitandam, opulenta, ſempiternaque ejus remuneratio ob oculos poſita, me invitat, atque impellit efficaciſſimè.

II. MYSTERIUM GLORIOSUM,

Jesus *in Cælum aſcendens.*

O Jesu! Paupertas Spiritûs à Te perfectiſſimè in terris exercita, multò copioſiùs à Patre tuô Cæleſti remuneratur in hoc ſecundô *Myſteriô* gloriosô, quàm in primô. Nam in Reſurrectione tua corpus quidem tuum ditatum fuit quatuor eximiis dotibus, agilitate, ſubtilitate, claritate, & impaſſibilitate; aſt in tuâ è monte *Oliveti* cum corpore & anima in Cælum aſcenſione, ſuprà omnem creaturam corporalem, & ſpiritualem eveheris, nedum ut tu ipſe cæleſtibus ſine fine affluas divitiis, ſed ut me quoque, tuæ paupertatis meritô, earundem divitiarum participem efficias.

Digitized by Google

O Jesu dilectiſſime! lætitiâ incredibili exulto, attentiùs gratiſſimam rerum tuarum viciſſitudinem perpendens. Eras nuper in hôc mundô, ſpontaneâ, liberrimâque voluntatis electione, omnium omninò pauperrimus: Nunc, ad conſeſſum paternæ dexteræ in Cælo ſublimatus, omnium omninò es ditiſſimus.

Tempore tuæ Paſſionis, ceu fictitius, ac Theatralis *Judæorum* Rex à *Pilati* militibus per ludibrium, apparatu pauperrimô, inaugurabaris, modò cæleſti in palatio triumphans, ceu verus, ac ſupremus Rex Gloriæ, omni cæleſtium divitiarum copiâ affluens, à beatis mentibus ſuppliciter adoraris.

III. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Spiritus Sanctus ad Apoſtolos miſſus.

O Jesu! Apoſtolos tuos, tamquam Evangelici ſeminis ſatores in univerſum miſſurus mundum, ità mones *Matth.* 10. v. 9: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris*: apertè ſignificans, mundum infidelem non terrenarum potentiâ divitiarum, ſed tuæ paupertatis meritô, prædicatione, & imitatione ad veram fidem convertendum.

Idcirco etiam poſtquàm Cælum conſcen-

Digitized by Google

ſoenderas, Spiritum ſanctum tuum in viſibili linguarum ignearum ſpecie ad Apoſtolos tuos mittere dignatus es, qui eos perfectâ ſpiritûs paupertate, aliiſque infuſis ſupernaturalibus donis ad efficacem, fructuoſamque *Evangelii* prædicationem ritè formaret.

Neque Apoſtolis ſolis, ſed omnibus in te credentibus dixiſti *Lucæ* 12. *v.* 33. *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, Theſaurum non deficientem in Cælis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit* v. 34. *Ubi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.*

O Jesu! ô Præceptor divine! immortales tibi de tam ſalutarî documentô gratias ago, tuamque divinam Majeſtatem oro, obteſtorque, ut eundem Spiritum ſanctum in cor meum inviſibiliter mittere haud dedigneris, qui illud caducarum divitiarum amore plenè purgatum, ſolis inhiare cæleſtibus, & ex nunc tecum, tamquam dilectiſſimo theſauro ſuo, in Cælis converſari faciat.

IV. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Maria *in Cælum Aſſumpta.*

O Jesu! Maria Mater tua in terris degens tibi Filio ſuo amantiſſimo paupertate ſpiritûs extitit ſimillima.

Noverat Te ex divite factum eſſe egenum, ut divinis gratiæ, gloriæque theſauris animas noſtras locupletares. Propterea quemadmodum Fide, Spe, Charitate, Humilitate, aliiſque virtutibus, ita & ſpiritûs paupertate cunctos ſanctos longiſſimè hìc ſuperavit, adeò ut millium licèt mundorum divitias re ipsâ poſſediſſet, eas tamquam lutum, & ſtercora deſpiciens, extremam tuam ô JESU! paupertatem imitandi ergò, procul dubiô à ſe lubentiſſimè cunctas abdicaſſet.

Quid igitur miri, ſi Chariſſima Mater tua in Cælum gloriosè aſſumpta cæleſtibus etiam ſuper omnes ſanctos ditata ſit theſauris?

O *Maria*! ô opulentiſſima Cæli Regina! ut mea apud JESUM in Cælo fores Patrona, eò evecta es. Age igitur, precibus tuis Filium tuum exora, ut me quoque ſpiritûs paupertate hìc donatum, æternis poſteà theſauris in cæleſti palatiô locuplêtet.

V. MYSTERIUM GLORIOSUM.

MARIA *in Cælo coronata.*

O JESU! Genetricis tuæ *Mariæ* paupertatem pleniſſimè remuneraturus, ipſam, ceu Cælorum Reginam cæleſti pòmpâ inauguraſti, tempora ipſi cingens diade-

demate, non ex auro, aut pretioſis gemmis confectô (quale hujus mundi Reginæ geſtare ſolent) ſed gloriæ cæleſtis, tam eximii pretii, & ſplendoris, ut cæterarum beatarum mentium coronas nedum ſuperet, ſed vix non offuſcet.

Pſalmograph. Pſ. 75. v. 5. Teſte: *dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenêrunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.*

O amantiſſime JESU! longè beatiori ſorte fruuntur, qui tuô, Matriſque tuæ exemplô hìc pauperes ſpiritu eſſe amant: Nam ubi durante hujus miſeræ vitæ ſomnô manus ſuas divitiis terrenis evacuaverint (egenis tuis membris ſuperfluas liberaliter erogandô) à ſomnô iſtô ad beatam vitam excitati, immenſas in manibus ſuis invenient divitias, æternâ cæleſtis gloriæ coronâ exornati.

F I N I S.

Digitized by Google

EXERCITATIO VIRTUTIS OBEDIENTIÆ, CIRCA V. MYSTERIA GAUDIOSA.

I. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS, *ab Angelo* GABRIELE MARIÆ *Virgini Annuntiatus.*

O Sanctiſſima Trinitas, Unus Deus! cui creaturæ omnes perfectiſſimam debent obedientiam; utinàm adeò perfectè Majeſtati tuæ divinæ obediam in terris, ſicut beatæ mentes obediunt in Cælis!

Porrò in primô myſteriô gaudiosô, ô IESU! quam præclarum obedientiæ mihi præbes exemplum, dum Angelô *Gabriele* nuntiô ex *Maria* Virgine naturam aſſumens humanam, eandem erga Patrem tuum cæleſtem virtutem perfectiſſimè exerces!

In

In Capite libri (inquis hunc ingrediens mundum) *ſcriptum eſt de me* [ô Pater æterne!] *ut faciam voluntatem tuam* (nempè *Adami* poſteros paſſione, ac morte meâ ab æternâ damnatione liberandô) *Deus meus volui*, *& legem tuam in medio cordis mei* ſervabo ſemper, & adimplebo exactiſſimè.

Itâ nimirùm. O JESU obedientiſſime! jam indè à primô incarnationis tuæ momentô incipis perquàm integrè Patri cæleſti obtemperare; & ego, prô dolor! jam indè à primô rationis diluculô Majeſtati tuæ divinæ inobedientiſſimus fui, contrà lucidum tuum, & rigoroſum mandatum, plus res creatas, quàm Creatorem diligendo.

O clementiſſime Redemptor! corde humiliato, & contrito te enixè obſecro, ut omnes meas inobedientias meritô obedientiæ tuæ mihi miſericorditer condones.

II. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

ELIZABETH à MARIA *Viſitata.*

O JESU! in Virgineô *Mariæ* uterô factus homo, mox ipſam internâ inſpiratione excitas ad cognatam ſuam *Elizabetham* officioſè inviſendam, pro ſcopô tuô præcipuô habens opus noſtræ redemptionis à Patre cæleſti tibi injunctum

exordiri, *Joannem* adhuc maternô incluſum uterô ſanctificandô.

Ità nimirum præclarum obedientiæ ergà Patrem exemplum nobis hôc etiam *in* ſecundô Myſteriô gaudiosô præbes.

Et tu O *Maria!* inſigni quoque nobis obedientiæ exemplô hìc præluces. Nam etſi unica tibi voluptas erat procùl à conſpectû hominum in intimis cum ſolo Deo penetralibus converſari, nihilominus ut internæ divini infantis (quem uterô geſtas) inſpirationi obedias, charâ ſolitudine relictâ, ad Montana *Judeæ* cum feſtinatione pergis, & , ut S. *Ambroſius* loquitur, *non Te à publicô Virginitatis pudor, non à ſtudiô aſperitas montium, non ab officiô prolixitas itineris retardavit*; ut nempè exemplô tuo, O Virgo obedientiſſima! me doceres in arduis æquè ac facilibus rebus obedire.

III. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in ſtabulo* BETHLEEMITICO *Natus*.

O JESU! Quot, & quanta obedientiæ exempla in hoc *Myſteriô* occurrunt? Nam inprimis *Maria* Mater tua, ac *Joſephus* ſponſus Ejus, ut *Cæſari Auguſto* totius orbis deſcriptionem imperanti obediant, *Nazarbetô* proficiſcuntur *Bethleemum*

leemum civitatem *Daavid* [eo quod *Joſephus* eſſet de domo, & Familia *Dvid*] ibidem adſcribendi.

Tu ipſe ò JESU! hìc obedientiam ergà Patrem tuum cæleſtem exerces, dum ad æternis Ejus decretis parendum, in ſtabulô *Bethleemiticô* infans naſceris, infantilibus ærumnis, nec non egeſtate ac frigore vehementer afflictus.

Paſtores nocte vigilantes ſuper gregem ſuum voci Angeli obtemperant, qua ad Te recentiſſimè in ſtabulô natum adorandum evocantur.

Magi ex *Oriente*, interno parent lumini divino, miraculoſam, quæ iis foris apparebat in Cælo, ſtellam promptè, & conſtanter ſequentes.

Ego ſolus, prô dolor! hactenus Deo, Ejuſque vice in terrâ fungentibus, Superioribus meis obedire pertinaciter recuſavi! ſed nunc, ô IESU obedientiſſime! me (quæſo) ex inobediente, meritô tuæ obedientiæ, obedientem effice.

IV. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in Templo oblatus*.

O JESU! Sanctiſſima Genitrix tua *Maria* lucidiſſimum ſeſe hic perfectæ exhibet obedientiæ ſpeculum, quando ante partum, in partu, & poſt partum inviolata

E 5

violata permanens Virgo, proindèque nullâ indigens purgatione, ſe ipſa tamen parientium mulierum purgationis legi (quâ minimè tenebatur) ſpontaneè ſubiiciens, Templum adit *Jeroſolimitanum*, cunctas illius legis ceremonias exactiſſimè adimpletura.

Tu etiam, ò Infans divine! perfectiſſimam exerces obedientiam Nam (dum *Maria* Te filiolum ſuum in Templo Sanctiſſimæ Trinitati offert) Tu quoque te ipſe Deo Patri tuo cœleſti offers, nedum ad rigoroſa ejus decreta de acerbiſſima paſſione, & morte tuâ exequenda, ſed etiam ad facienda ſemper, quæcumque magis illi placita forent.

Prô dolor, quantum ego à perfectiſſimâ illâ tua diſſitus ſum obedientiâ, cuì ſolum Superioris beneplacitum (non exſpectatâ iuſſione) nutù ſignificatum, plus quàm ſufficiens eſt!

V. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in Templo inter Doctores repertus.*

O IESU! cauſa unica tuæ in *Jeruſalem* manſionis, *Mariâ*, & *Joſephô* inſciis [qui te amiſſum dolentes quæſiverunt] fuit beneplacens Patris tui cœleſtis voluntas; cui obſecundare acceptiſſimum tibi numquam non fuit. Id-

Idcircò dum Sanctiſſima Mater tua, Te in Templo ſedentem in medio Doctorum inveniens, affectû maternô conqueritur: *Fili quid fecisti nobis ſic? Ecce egò, & Pater tuus dolentes quærebamus Te*, ſapientiſſimè reſpondes: *quid eſt quod me quærebatis? Neſcitis, quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Quaſi diceres: An ignoratis, quod Patris mei cæleſtis beneplacitum, ejuſque gloriam oportet me rebus omnibus anteferre, atque Te potiùs, ò Chariſſima Mater mea! Patremque meum nutritium dolori permittere, quàm ea, quæ Patri meo cæleſti accepta ſunt, non perficere?

O dilectiſſime JESU! hoc ſaluberrimum [obſecro] documentum tuum ſemper animo meo infixum maneat, ut interrogatus etiam à parentibus meis, cur miſſis hominum conſortiis, & variis ſæculi oblectationibus, tam frequenter concionibus, & rei divinæ celebrationibus interſim, libera mente reſpondeam: Neſcitis, quia oportet me, ceu Chriſtianum, iis rebus, quæ *Chriſtum*, ejuſque cultum, ac gloriam concernunt, occupari?

EXERCITATIO VIRTUTIS OBEDIENTIÆ, CIRCA V. Myſteria Doloroſa.

I. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *in Hortô* Olivarum *contriſtatus.*

O Jesu! Tuam ergà Patrem cæleſtem perfectiſſimam obedientiam maximè probas, dum rigoroſis Ejus mandatis alacri, lætôque animo obtemperas, acerbiſſimos in anima & corpore dolores, ac cruciatus, mortemque ipſam crucis pro ſalute noſtra lubentiſſimè perferendô.

Ad primum autem Myſterium doloroſum quod attinet; ut paternæ morem geras voluntati, pridiè mortis tuæ *Jeroſolimis* agni Paſchalis cænâ cum Diſcipulis peractâ, inſtitutoque Sacro-ſanctæ *Eucharistiæ* Sacramentô, ad hortum te confers *Olivarum* plenas mærori, angorique habenas

Digitized by Google

habenas relaxans, adeò ut *anima tua triſtis ſit uſque ad mortem*, ſudorque ſanguineus è corpore tuo erumpens in terram copioſè defluat.

Inſuper te obedientem Patri cæleſti exhibes, dum mæſtiſſimô illô in hortô Te permittis, ad ſignum proditorii oſculi à Judâ accepti, duris à ſævis militibus vinciri nexibus & captivum *Jeroſolimam* abduci.

O Iesu! oro, obteſtorque Te, ut me à peccatorum nexibus ſolutum, tuorum obedientiæ mandatorum funiculis charitatis arctiſſimè adſtringas.

II. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *à Pilati militibus flagellatus.*

O Jesu! quàm triſte, & ſacrô plenum horrore hìc mihi ante oculos obverſatur ſpectaculum?

Pilati milites nullam legis *Moyſaicæ*, certum in flagellatione ictuum numerum præſcribentis, rationem habentes (utpote gentiles) in corpus tuum innocentiſſimum, ad columnam nudum alligatum immaniſſimè ſæviunt.

Sed quid te (amabo) ô dilectiſſime Redemptor! impellit, ad tam crudele ſupplicium tam lubenti animo perferendum? Procul dubiò perfectiſſima obedientia tua

erga

erga Patrem cæleſtem, Tibi pro meâ, omniumque hominum ſalute æternâ id præcipientem.

Væ mihi, qui graviſſimis meis inobedientiis tibi ô obedientiſſime JESU! adeò diſſimilis, & multiplici mandatorum tuorum prævaricatione quaſi leproſus coram Te effectus ſum.

In communi proverbiô eſt, leprâ infectos innocentium ſanguine à leprâ mundari: & Apoſtolus tuus ad *Hæb.* 9. v. 14. ait, *ſanguine tuo*, ô Salvator! *emundari conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi.* Igitur Agne Dei innocentiſſime, *qui tollis peccata mundi*, obſecro Te, ut me leproſum, ſanguine tuo ſalutiferô, è venis tuis flagris copioſiſſimè extractô, à peccatorum meorum leprâ mundare clementer digneris.

III. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *Spinis coronatus.*

O JESU! horrenda planè, cruentaque hic tragædia repræſentatur. Milites tigride ferociores, coronam de ſenticoſis ſpinis contextam capiti tuo divino tam fortiter baculô imprimunt arundineô, ut ſpinarum aculei è venis copioſum ſanguinem eliciant, qui colore rubeo tinxit venerandam tuam faciem, oculos, capillos,

bar-

Digitized by Google

barbam prout S. *Birgittæ* revelatum fuit. Lib. 4. c. 70.

Adeò acerbos hìc ô tenerrime Jesu! dolores pateris, ut ti necem indubitanter inferrent, niſi ipſe tibi vitam miraculosè ſervares, ad eam paulò poſt profundendam in cruce.

Liceat mihi te iterum, ô amantiſſime Salvator! interrogare; quid cauſæ eſt, cur horrendiſſimos illos cruciatus non, ſolùm non recuſes pati, ſed etiam læto animô, & ambabus ulnis amplectaris? Non aliud profectò quàm voluntas Patris tui cæleſtis, cujus nutu, & arbitrio cuncta agere maxima tibi animi voluptas eſt: ſic enim ipſe teſtaris *Joan.* 4. v. 34. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus.*

Ità nimirùm perfectiſſimæ hìc etiam nobis obedientiæ exemplum ante oculos ponis.

IV. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Crucem bajulans.*

O Jesu! fruſtrà ex te quæram quid cauſæ ſit, cur ponderoſâ cruce onuſtus ad montem pergas Calvariæ, ibidem in cruce moriturus: ſiquidem pro comperto habeo me non aliud à Te relaturum reſponſum, quàm quod in tribus præceden-

Digitized by Google

dentibus Myſteriis mihi dediſti, nempè omnia hæc ex obedientiâ erga Patrem tuum cæleſtem profluere.

O virtutem perquam eximiam! tibi, O mi Salvator! tantopere charam, ut propter illam ponderoſiſſimam crucis trabem fractis geſtare humeris minimè detrectes, ſed mihi, prô dolor! tantopere exoſam, ut leviſſimas etiam, ſtramineaſque cruces per obedientiâm impoſitas ex humeris meis totô ſtudiô coner excutere!

O obedientiſſime JESU! totus pudore ſuffuſus tuis ſupplex advolvor pedibus, omnium inobedientiarum mearum præteritarum veniam enixè deprecans.

V. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *In cruce mortuus.*

O JESU! In hoc ultimo Myſteriô doloroſô, tuô me doces exemplô, uſque ad mortem in perfectæ obedientiæ exercitiô perſeverare, quando ſuper montem *Calvariæ* ex amoroſâ ergâ Patrem cæleſtem obedientiâ în cruce moreris, poſtquam crudeliſſimis lictoribus (ad ejuſdem Patris tui voluntati obſequendum) manus, pedeſque (ipſorum juſſu) extendens obediveras, diris ut clavis perforati cruci figerentur.

Dicito mihi (amabo) ô JESU! Cur à

Prin-

Digitized by Google

Principibus Sacerdotum, ac Scribis blaſphemâ hac voce laceſcîtus, *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Matt. 27. v. 42. de cruce non deſcendis?

Mellifluus Doctor *Bernardus* id inprimis obedientiæ tuæ ergà Patrem cæleſtem adſcribit: *Ne*, enim, *perderes obedientiam* [inquit] *perdidiſti vitam*; hôc pactô clariſſimè toti mundo demonſtrans, te verè eſſe Regem *Iſraël*, Filium Dei, ac verum Deum Hominem factum, ut genus humanum à morte æterna, tua crucis morte liberares.

O Jesu! dona mihi (obſecro) in tuorum obedientiâ mandatorum uſque in finem vitæ, amore tui, perſeverare.

EX-

EXERCITATIO VIRTUTIS OBEDIENTIÆ, CIRCA V. MYSTERIA GLORIOSA.

I. MYSTERIUM GLORIOSUM.

IESUS *A morte reſurgens.*

O Jesu! Apoſtolo tuo teſte ad *Phil.* 2. v. 8. & 9. Quia *factus es obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, Deus* Pater *exaltavit te ... ſuſcitans Te à mortuis* Act. 13. v. 37.

Cum verò unus ſis cùm Patre, & Spiritû Sanctô Deus omnipotens, Te ipſe quoque à morte ad vitam revocaſti, tertiâ die glorioſus è tumulo propriâ virtute reſurgens. Atque ita, ô Salvator! obedientiam, quam hìc uti verus homo Patri tuo cæleſti præſtitiſti, uti verus Deus in hoc primô Myſterio glorioſô remuneras.

Lucæ 22. *v.* 29. Ad Diſcipulos tuos ais: *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi*

Digitized by Google

mihi Pater meus Regnum. Quaſi diceres: Quemadmodum *Pater meus* ab æterno decrevit, ac ſtatuit, ut Ego illi uſque ad mortem crucis obediendô glorioſam corporis mei reſurrectionem tamquam homo promerêrer, ita & Ego decerno, ac ſtatuo, ut vos Diſcipuli, cunctique electi mei participes glorioſæ meæ reſurrectionis, regnique cæleſtis futuri ſitis, eâ tamen conditione, ut meæ erga Patrem cæleſtem obedientiæ imitatores hìc priùs fueritis.

O amantiſsime Salvator! æquiſsimam iſtam conditionem maximâ cum gratiarum actione perlubenti animô amplector.

II. MYSTERIUM GLORIOSUM.

JESUS *in Cælum aſcendens.*

O JESU! Tu excellenter *es vir ille, qui* [Teſtimonium perhibente Spiritu ſanctô *Proverb.* 21. v. 28.] *loquitur victoriam.*

Enimverò meritô obedientiæ tuæ Patri cæleſti exhibitæ, multiplicem loqueris reportatam victoriam 1. Quidem de diabolo, nos ex æterna illius, & horrendiſſima ſervitute vindicans. 2. De peccato, quo Deo maximè exoſi eramus, ipſum deſtruens. 3. De morte, peccati pænâ, vitam nobis æternam ac cæleſtem obtinens. 4. De cunctis inimicis, qui tibi necem intule-

Digitized by Google

tulerunt, humanitati tuæ glorioſam reſurrectionem & in Cælum aſcenſionem, nec non ſanctiſsimi nominis tui exaltationem procurans.

O obedientiſsime, & ideò victorioſiſſime Jesu! tot tantaſque victorias, obedientiâ tuâ partas intimo tibi animi ſenſu gratulor.

III. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Spiritus Sanctus ad Apoſtolos miſſus.

O Jesu! Patri tuo cæleſti uſque ad mortem crucis obtemperando ſancti Spiritûs ſub ſpecie linguarum ignearum ad Apoſtolos miſsionem, unà cum donis cæleſtibus hâc miſsione ipſis collatis, promeritus fuiſti.

Porrò non ſolis Apoſtolis hos divinos favores obedientiæ tuæ meritô procuraſti, ſed etiam mihi, omnibuſque in Te credentibus, ad quos Spiritus ſanctus toties inviſibiliter mittitur, quoties ipſos vel ex peccatoribus, & injuſtis, infuſione gratiæ ſanctificantis habitualis, juſtos, ac ſanctos; vel ex juſtis & ſanctis, ejuſdem gratiæ augmentô magis juſtos, magiſque ſanctos efficis; vitam æternam ipſis nunc promittens, & poſt collaturus.

Verùm ut hanc meritô obedientiæ tuæ, o Jesu! conſequar, neceſſe eſt, à mandatorum tuorum obedientiâ ut ne recedam:

Digitized by Google

dam : ſiquidem *factus es cauſa ſalutis æternæ* : ſed quibus? *Omnibus obtemperantibus tibi* : inquit Apoſtolus tuus *Hæbr.* 5. v. 9.

O miſericordiſsime Salvator! Fac me [obſecro] efficaci gratia tuâ mandatis tuis jugiter obtemperare.

IV. MYSTERIUM GLORIOSUM.

. MARIA *In Cælum aſſumpta*.

O JESU! Nova hìc ad virtutem obedientiæ me non parùm excitantia reperio motiva.

Enimverò ſicut glorioſa reſurrectio tua, & in Cælum aſcenſio, tuæ perfectiſsimæ obedientiæ merces extitit, ita ſanctiſsimæ Matris tuæ reſurrectio glorioſa, & in Cælum Aſſumptio, ipſius quoque obedientiæ eſt remuneratio.

Tu, ò obedientiſsime Salvator! non Patri tuo duntaxat cæleſti, ſed etiam Matri tuæ *Mariæ*, Patrique tuo nutritio *Joſepho* in omnibus morem perfectè geſsiſti, juxta illud *Lucæ* 2. v. 51. *Et erat ſubditus illis*.

Maria autem ſe ipſam conſiderans, ceu creaturam, ancillam, & ſponſam tuam, tibi, ceu Creatori Domino, ac Sponſo ſuo exactiſsimè quoque obtemperavit, à ſanctiſſimæ voluntatis tuę regula unguem tranſverſum numquam diſcedens. Jure

Digitized by Google

Jure igitur meritiſsimò poſt obitum ſuum à corruptione ſervata, & gloriosè à morte ſuſcitata, hodiè à Te cum corpore, & animâ in Cęlum aſſumitur, quæ perfectiſsimâ hìc obedientiâ eluxit.

Utinam ô Jesu! hìc cum *Maria* Matre tua adeò perfectè tuæ divinæ Majeſtati per omnia obediam, ut cum Eâ aliquando in Cælum aſſumi merear.

V. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Maria *in Cælo coronata.*

O Jesu! quantî apud te pretii ſit virtus obedientiæ, in hoc etiam ultimò Myſteriò gloriosò palam facis, dum ideò *Mariam* Matrem tuam in Cælo coronas Reginam Sanctorum omnium, quia in hoc mundô degens amorosâ Sanctos omnes obedientiâ ſuperavit.

O *Maria!* ò coronata in Cælo Regina! Tam opulenta obedientiæ tuæ remuneratio, mihi poſthac calcar erit, ut virtutem illam eximiam perfectiùs exercere ſatagam, ſperans fore ut aliquando cæleſti tecum golriâ coroner.

Porro ſpes iſta (ô Jesu!) nequaquam officit puritati motivi ad obediendum [quod tui nominis gloria, & honor eſſe debet] ſiquidem cæleſtis gloria [quâ coronari ſpero] in clara divinæ tuæ eſſentiæ viſione,

& amo-

Digitized by Google

& amore fruitivo conſiſtit, quibus à creaturis tuis (ò mi Deus !) maximè glorificaris, & honoraris.

FINIS.

EXERCITATIO VIRTUTIS MANSUETUDINIS CIRCA V. MYSTERIA GAUDIOSA.

I. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *ab Angelo* GABRIELE MARIÆ *Virgini Annuntiatus.*

O Sanctiſsima Trinitas, Unus Deus! Utinam mihi jugiter cordi ſit virtutem Manſuetudinis diligenti ſtudiò excolere, oppoſitumque huic virtuti iracundiæ vitium vehementi odiò perſequi!

Porrò

Porrò in primô Myſteriô gaudioſô, ô Jesu Fili Dei! præclariſsimum Manſuetudinis exemplum mihi ob oculos ponis.

Homo à Te conditus, & gratiæ donis magnificè ditatus, Majeſtatem tuam peccandô infinitâ affecerat injuriâ; & Tu, ô mitiſsime Deus! non ſolùm injuriam illam pœnâ ſeverâ non ulciſceris, verùm etiam, bonum pro malo reddens, humanam (Angelô nuntiante) naturam ex Virgine *Maria* aſſumis, pro æternâ ingratiſsimi hominis ſalute in cruce moriturus.

O Manſuetudinis facinus, verbô divinô incarnatô longè digniſsimum!

Ad hæc: eximiam animi tui ergà virtutem Manſuetudinis propenſionem evidenter oſtendis, quandò, pro nobis incarnari cupiens, in Matrem eligis ſanctiſsimam *Mariam, Virginem inter omnes mitem*, quæ hoc titulô in hymno (qui incipit, *Ave Maris Stella*) ab Eccleſia honoratur.

O Manſuetiſsime Salvator! Tuæ [quæſo] Matriſque *Mariæ* Manſuetudinis me participem effice.

II. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

Maria Elizabetham *Viſitans*.

O Jesu! hìc iterum tua elucet Manſuetudo, dum in Virgineô *Mariæ* uterô

Digitized by Google

rô factus homo, ipſam efficaciter moves ad cognatam ſuam *Elizabetham* inviſendam, eô præſertim Conſiliô, ut *Joanni naturâ Filio iræ* parcas, ipſum in Maternô *Elizabethæ* uterô ſanctificando.

O Manſuetudinem perquàm eximiam! *Joannes*, ex vitiato Adami peccatoris ſemine propagatus, labe originalis noxæ infectus erat; ac proindè objectum Odii, ac iræ Dei: & tamen, ô Jesu mitiſsime! *Ioannem* manſuetô reſpicis oculo, & corde diligis. De immundô conceptum ſemine tuâ gratiâ mundum, & ex mancipiô diaboli Filium Dei adoptivum efficis, quin & in præcurſorem tuum eligis, eumque ad hoc officium dignè obeundum (inter cæteras virtutes, Manſuetudinem in gradu heroicô infundendo) præparas, adeò ut *inter natos mulierum Ioanne major ſurrexerit nemo.*

O Manſuetiſsime Salvator! maximum ex pudore ruborem contraho, me Tibi hìc adeò diſsimilem comperiens. Nam leviſſima recula, verbum paulò duriùs prolatum, minimum quid, & pene nihilum ſolet in animo meo turbidos iracundiæ fluctus ſuſcitare, meque ad parvam injuriam longè graviori ulciſcendam inducere.

Itaque omnium contra Manſuetudinem à me umquam commiſſarum culparum veniam à Te ô Jesu! corde contritô ſupplex deprecor.

F III.

III. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in ſtabulo* BETHLEEMITICO *natus.*

O IESU! Nihil non hìc me ad Manſuetudinis virtutem amandam, excolendamque vehementer excitat.

1. Mater, Te in ſtabulo *Bethleemitico* pariens, Virgo eſt manſuetiſsima, numquam non bonum pro malo reddens.

2. Pater tuus nutritius, parienti Matri tuæ adſtans, omni etiam iracundiæ felle caret.

3. Angeli nativitatem tuam ex Virgine Paſtoribus nuntiantes, miri ſunt manſuetudinis amatores, qui pacem, ac tranquillitatem perfectam in terrâ hominibus bonæ voluntatis promittunt.

Et Tu, O Infans divine! qui in Stabulô naſceris, ipſa es manſuetudo. Ideò quippe homo naſci amas, ut hominem peccatorem infinitô manſuetudinis meritô Patri cæleſti reconcilies.

Undè meritiſsimè in *Evangelio* fidelibus omnibus exemplum manſuetudinis (quod imitari ſedulò nitantur) ob oculos Te ipſe ponis, dicens *Matt.* 11. v. 29. *Diſcite à me, quia mitis ſum corde.*

Largire mihi, O JESU! gratiam, qua & ego deinceps ſuperatâ iracundia mitis ſim corde.

IV.

Digitized by Google

IV. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in Templo oblatus.*

O JESU! Tuam hìc rurſus demonſtras manſuetudinem, quandò non ſolum *Mariam* Matrem tuam inſpiratione divinâ excitas, ad Te filiolum ſuum cæleſti Patri in Templô *Jeroſolimitanô* offerendum, ſed Te ipſe quoque Eidem Patri tuo promptiſsimâ mente offers, tamquam agnum manſuetiſsimum pro redemptione noſtra in cruce immolandum.

Væ mihi, ſi durante vitæ hujus mortalis curriculô Te, O JESU! ceu Redemptorem manſuetum fide vivâ ſuſcipere, manſuetudinemque tuam ſtrenuè imitari recuſem. Eo namque finitô Te, ceu iratum judicem, juſtiſsimumque iracundiarum mearum ultorem experiri vel invitus cogar.

Ex quô porrò colligere licet, iram quandoque inveniri virtuti manſuetudinis minimè repugnantem: cum hæc Tibi etiam ô manſuetiſſime JESU! conveniat. *Iraſcimini, & nolite peccare*, inquit, *Pſalmographus. Pſ.* 4. v. 5.

Dum igitur verè pœnitens [quòd divinam bonitatem tuam, ò Deus meus! graviter offenderim] ipſe mihi iraſcor, injuriaſque tibi à me illatas cordis contriti,

one, & corporis afflictatione ulciſcor, tantùm abeſt, ut peccem, aut Majeſtati tuæ diſpliceam, ut è contrariô actum maximè virtuoſum, Tibique imprimis gratum, placentemque exerceam.

O JESU! Hanc ſanctam, juſtiſſimamque iram mihi (obſecro) largiter concede.

V. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in Templo inter Doctores repertus.*

O IESU! quàm hìc rursùs præclara manſuetudinis mihi proponuntur exempla!

Nam Genitrix tua *Maria*, & Pater nutritius *Joſephus*, ingenti mærore afflicti [quod Te Chariſſimum puerulum 12. annorum, abſque ſua culpâ amiſerant] mirâ manſuetudine, animique tranquillitate gravem iſtam ſuſtinent jacturam.

Et tu, o mi Salvator! Matri tuæ (ubi Te amiſſum *Jeroſolimis* invênit in medio Doctorum) conquerenti: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce ego, & Pater tuus dolentes, quærebamus Te*; manſuetiſſimâ voce reſpondes; *An neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?*

O mitiſſime IESU! quantùm me *Mariæ*, *Joſephi*, & præſertim tua hìc confundit manſuetudo! Mater

Digitized by Google

Mater tua dolorem ſuum, ſponſique *Joſephi* ex tui amiſſione conceptum, maternô affectû, conquerens, manſuetum à Te refert reſponſum: & ego, eheu! juſtiſſimè etiam quærulos non niſi iracundis ſoleo clamoribus excipere.

EXERCITATIO VIRTUTIS MANSUETUDINIS CIRCA V. Myſteria Doloroſa.

I. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *in horto* OLIVARUM *uſque ad mortem contriſtatus.*

O JESU! quam Te in hôc *Olivarum* hortô manſuetum exhibes, dum imminentem paſſionem, mortemque tuam acerbiſſimam, ac multò gravius peccata mea doles quidem, ſed neque *Judæis*, qui tibi crucem parant, neque mihi iraſceris, ullam animô meditans Ultionem.

 Quid?

Digitized by Google

Quid? quod amariſſimum paſſionis tuæ calicem de Patris tui cæleſtis manu lubentiſsimè recipis, paratus illum ad ultimam uſque guttam epotare, ut nobis in Ejus reductis *gratiam*, ſalutem procures ſempiternam.

Præterea, ô manſuetiſsime JESU! dum tibi *Judas*, illo in horto proditorium infigit oſculum, tantùm abeſt, ut ſceleratiſſimum proditorem, terræ hiatû abſorptum, in inferni profundiſsima demergas, ut eum *Amici* nomine compellare non dedigneris [*Amice, ad quid veniſti!*] ipſius converſionem, ſalutemque ſincerô animô (quod maximæ eſt manſuetudinis indicium] deſiderans.

O dilectiſsime Redemptor! Utinam exemplô tuô, tuique dilectione, ergà juratos etiam, maximèque mihi infenſos adverſarios, manſuetum me ſemper exhibeam!

II. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *à Pilati militibus flagellatus.*

O JESU! Næ veriſsimè Tu es *manſuetiſſimus* ille *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi!*

Minima ſcilicet iracundiæ indicia haud edis, ſivè adversùs *Judæos*, falſorum Te cri-

criminum apud *Pilatum*, Præſidem *Romanum* accuſantes, ſive adversùs ipſum *Pilatum*, Te (cujus innocentiam ſibi perſpectam eſſe declarat) militibus ad flagellandum tradentem.

Quin inter ipſos etiam flagellorum ictus, internâ animi manſuetudine ſervatâ, nedum atrociſsimam tibi à crudelibus lictoribus illatam injuriam non Ulciſceris, verùm etiam ſanguinem pretioſum, è venis tuis copiosè flagellis extractum, Patri cæleſti pro eorum converſione, ac ſalute offerre minimè dubitas.

Aſt ego, Prô pudor, ac dolor! ego (ſæpiſsimè promeritus, ut creaturæ omnes in me inſurgant, infinitas, quibus Te O Jesu! affeci injurias Ulturæ) adeò non ſum manſuetus, ut leviſsimam etiam injuriam mihi illatam, graviter inultam abire numquam permittam.

O Mitiſsime Salvator! animum illum vindicandi injurias potentî (quæſo) gratiâ tuâ corrige, meque manſuetudinis tuæ participem redde.

III. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Spinis coronatus.*

O Jesu! Hìc prædictionem *Iſaiæ*, & *Zachariæ* Prophetarum ab *Evangeliſtâ* S. *Matthæo* Apoſtolo *cap.* 21. *v.* 5. relatam

tam [*Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*] perfectiſsimè adimpletam perſpicimus.

Agite igitur, O *Filiæ* SYON, animæ Deum amantes, *egredimini*, & *videte*, quàm crudeli, & ignominosâ pompâ *Regem Salomonem*, JESUM veſtrum, inauguravit *Mater ſua*, Synoga *Judæorum* *Cant.* 3. *v.* 11.

Diadema ſpineum ſævi lictores non tam capiti divino imponunt, quàm arundineô baculô fortiter imprimunt. Pro ſceptrô Regali viliſsimam arundinem in manum intrudunt. Tritam, laceramque chlamydem coccineam pro paludamento ex humeris appendunt. Non aureis adornaris catenis, ſed ferreis ligaris. Non ſuper excelsô Throno, ex aurô, vel ex ebore puriſsimô, aurô tectô elevaris, ſed ſuper humili, duriſsimôque lapide ſedêre jubèris. Aulici aggratulantes Regi inaugurato lictores ſunt per ludibrium genuflexi dicentes: *Ave Rex Judæorum*.

Admirare, ô anima mea! & adora eximiam manſuetudinem Salvatoris, qui afflictiones, ignominias, deriſiones, hâc ludricâ inauguratione perpeſſas, Patri cæleſti, pro crudeliſsimorum etiam lictorum converſione, æternaque ſalute, offerre ambit.

O JESU, virtutum omnium fons! deriva [quæſo] manſuetudinis tuæ guttulam

lam

Iam in cor meum, ut adverſariorum machinationibus ad iracundiam provocatus, (juxtà monitum Apoſtoli tui) *non vincar à malô, ſed vincam in bonô malum. Rom.* 12. *v.* 21.

IV. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Crucem bajulans.*

O Iesu! ſtatim ut *Pilatus* (amicitiæ Cæſaris excidendi metu) Te, innocentiam ipſam, extremô crucis ſupplicio addixerat, ſævi lictores ponderoſam fractis humeris tuis imponunt trabem, cogeriſque ad montem Calvariæ geſtare, diris eidem clavis mox affigendus.

Eheu! dum per *Jeroſolimæ* compita cruce onuſtus progrederis, ô dilectiſsime Salvator! à perfida *Judæorum* plebe digitô per contemptum demonſtraris, inſaniſque clamoribus traduceris, ceu homo vorax, potator vini, ſeductor populi, falſus Propheta, regiæ dignitatis ambitor, magus, in *Beelzebub* dæmoniorum Principe dæmonia eliciens, & ceu qualis non!

Aſt Tu, tamquam agnus mitiſsimus ad occiſionem ductus, non aperis os tuum, atrociſsima illa convitia non ſolum non Ulciſcens, verùm etiam Patrem cæleſtem pro ipſis convitiatoribus intimo corde veniam deprecans, prout in cruce, mox

moriturus, ore etiam pro crucifixoribus præſtabis.

O Jesu! dona mihi [obſecro] ut & ego cruces meas, tuâ infinities leviores, manſuetô perferam animo.

V. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *in Cruce mortuus.*

O Jesu! manſuetudo irritata (ut in proverbio eſt) in iracundiam verſa fit furor. Verùm hoc in Te, ô agne manſuetiſſime! locum minimè obtinet. Perſtitit enim tibi manſuetudo perfectiſsima *uſque ad mortem, mortem autem crucis.*

Mox ut ad *Calvariæ* verticem pertingis, à militibus veſtibus omnibus exutus, efferis cruci clavîs affigeris; innovantur, augenturque convitia, in divinam tuam perſonam jactata, dum trium horarum intervallô in cruee animam agis. Sed, O manſuetudinem ſat dignis numquam laudibus efferendam! Pro ipſis convitiatoribus, cruciſque necem inferentibus, O mitiſsime Jesu! Patrem cæleſtem enixè oras: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. Lucæ* 23. *v.* 34.

O Magiſter divine! fac, ut hoc præclarum manſuetudinis tuæ exemplum animo meô numquam excidat!

Digitized by Google

EXERCITATIO VIRTUTIS MANSUETUDINIS, CIRCA V. MYSTERIA GLORIOSA.

I. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Jesus *à morte reſurgens.*

O Jesu! quàm liberalìter tua remuneratur manſuetudo, quandò tertia die à morte, ad vitam immortalem à Patre cæleſti revocatus, è tumulo glorioſus reſurgis!

Scilicet Tu injurias atrociſſimas à *Judæis* illatas (nobis ut manſuetudinis præberes exemplum) haud vindicaſti; ſed ipſe Pater cæleſtis vicem tuam per ſeſe hodiè ulciſcitur, faciens Te de cunctis hoſtibus glorioſâ reſurrectione pleniſſimè triumphare.

Verùm, ô Manſuetiſſime Salvator! non immemor, quod è cruce pendens, Patrem tuum oraſti pro crucifixoribus tuis, tuô

 edoctus,

edoctus, & excitatus exemplô, ſupplex te oro, ut cunctis adverſariis meis, tuæ meritô manſuetudinis, donum veræ pœnitentiæ, peccatorumque veniam in hâc vitâ clementer impertiaris, ne in alterâ æternis ea ſuppliciis juſtè ulciſcaris.

II. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Jesus *in Cælum aſcendens.*

O Jesu! In hoc ſecundô Myſteriô glorioſô copioſior, quàm in primô, manſuetudini tuæ redditur merces: dum è monte *Olivarum* Cælum conſcendis, aſſociatus multis Angelorum millionibus, & omnium veterum Sanctorum Patrum animabus, quas, in cruce mortuus, cum anima ad infernum deſcendens, viſitaveras, cæleſtî ipſas donans gloriâ, quam manſuetudine tuâ, in vitâ, ac morte perfectiſſimè exercitâ, iiſdem promeritus es.

Porrò, non illis ſolis cæleſtem gloriam tuæ manſuetudinis meritô infinitô obtinuiſti, ſed omnibus [nemine exceptô] virtutum tuarum, (ac præſertim manſuetudinis] imitatoribus. Dixiſti enim Matth. 5. v. 4. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*, nempe viventium, quæ eſt ſedes beatorum.

O Jesu! Fac me ſedulum manſuetudinis tuæ imitatorem.

III.

Digitized by Google

III. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Spiritus S. ad Apoſtolos miſſus.

O JESU! Novis hic ad manſuetudinis amorem ſtimulis urgeor.

Matt. 10. v. 16. Aiebas Apoſtolis tuis: *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in mediô luporum.* Id eſt: mitto vos ad *Evangelium* infidelibus ubique prædicandum. Ipſi tamquam lupi ſanguinem ſitientes implacabili vos odiô perſequentur; ſed vos, ò *Apoſtoli* mei! tamquam oves manſuetudine veſtrâ eorum ferocitatem ſuperabitis.

Ipsô autem celeberrimô *Pentecoſtes* die, ò divine Salvator! ad eoſdem Apoſtolos tuos in linguis igneis Spiritum ſanctum tuum mittis, qui eximiâ illos manſuetudine oves efficiat, ferociumque veritatis Evangelicæ impugnatorum victores glorioſos.

Præclara eſt *S. Joannis Chryſoſtomi* (*Homiliâ.* 43. *Super* 10. *Cap. Matth.*) Sententia: *Quamdiu oves ſumus* [quaſvis injurias manſuetô perferentes animo] adverſarios *Vincimus*; ipſoſque (bonum pro malô reddentes) ex lupis oves, ex furentibus placidos, ex inimicis amicos efficimus, atque hôc pactô, eos Deo lucrantes, æternam tum ipſis, tum nobis ſalutem procuramus.

F

Ex adverſò *quàm diu lupi ſumus* (odiô in adverſarios ruentes, ac malum pro malo reddentes) *vincimur*; ex Dei Filiis, mancipia diaboli effecti, *quia auxilium Paſtoris* (JESU CHRISTI) *deeſt*, *qui non lupos*, *ſed oves paſcit.*

O JESU! fac me, quæſo, Spiritu ſanctô de Cælô miſsô, unam ex manſuetis oviculis tuis.

IV. MYSTERIUM GLORIOSUM.

MARIA *in Cælum Aſſumpta.*

O JESU! Magnificô Genitricis tuæ *Mariæ* manſuetudinem præmiô (hocce in Myſteriô) compenſas, ipſam cum corpore, & animâ ſuper omnes Sanctos in Cælum evehendô, quòd in terris vivens manſuetudine, ardentiſſimô tui amore, exercitâ cunctos vicerat.

Iterum iterumque, ò Virgo inter omnes mitis! toto cordis affectu tibi mercedem adeò præcellentem gratulor, Servus Dominæ, Filius Matri.

At, cum in Cæli palatium tranſlata ſis, noſtram ut apud Filium tuum JESUM CHRISTUM cauſam agas, obtine mihi (amabo Te!) efficaci tua interceſſione ſpiritum manſuetudinis, ut ne deinceps res ulla mihi bilem moveat, & ad iracundiam concitet, prætèr peccatum, quod probè

probè noverim illud ſolum Filio tuo, tibique, ò MARIA Virgo ſanctiſſima! odio eſſe, & abominationi.

Quapropter etiam firmiſsimè ſtatuo, quævis peccata, præſertim lethalia (quibus hominis cum Deo amicitia tollitur) ſanctô odiô, juſtâque irâ numquam non perſequi, & in me ipſe Ulciſci.

O me felicem, ſi tuo, ô IESU! munere, quod nunc ſincerô animô ſtatuo, poſthac opere compleam!

V. MYSTERIUM GLORIOSUM.

MARIA *in Cælo coronata.*

O IESU! in hoc Ultimô Myſteriô glorioſô Matrem tuam ſingulariſsimâ remuneraris mercede, dum Eam ſuper Cherubinos, & Zeraphinos excelciſſimô in thronô collocatam, pompâ cælicâ, cælorum Reginam coronas, in perpetuas æternitates glorioſè regnaturam.

O *Maria*, ò Coronata Cælorum Princeps! ob eximiam manſuetudinem, aliasque virtutes perquàm heroicas, maximè ob ardentiſſimam charitatem tuam, ad ſupremi honoris gradum à Filio tuo elevata es.

Ego miſerrimus peccator ad te, ceu potentiſſimam meam apud IESUM Patronam, ac Mediatricem confugio, orans

te,

te, obteſtanſque, ô Mater Miſericordiæ! ut mihi à Filio tuo gratiam obtineas, quâ manſuetudinis virtutem [cujus eſt iracundiæ motus rationis imperiô continere] jugiter excolens, cæleſtis gloriæ coronâ, manſuetis promiſsâ, exornari merear.

FINIS.

EXERCITATIO VIRTUTIS CASTITATIS, CIRCA V. MYSTERIA GAUDIOSA.

I. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *ab Angelo* GABRIELE MARIÆ *Virgini Annuntiatus.*

O Sanctiſſima Trinitas, Unus Deus! ipſa puritas, omniſque puritatis, fons, & origo! O Utinam auxiliô tuæ gratiæ

Digitized by Google

gratiæ in carne præter carnem vivens, quaſvis impuritatis illecebras, conſtanter, amore tui, ac perfectè ſuperem!

Porrò, primò in Myſteriô Gaudiosô manifeſtè, ò IESU! oſtendis, quantô puritas virginalis tibi in pretio ſit & exiſtimatione, cum naturam aſſumens humanam, in Matrem Tibi eligis virgunculam puriſſimam *Mariam*, quæ [Angelo *Gabriele* nuntiô, ſola Spiritus S. operatione] Virgineô Utero Te concipit, Virginitatis flore omninò intactô, adeò ut, inauditô prorſus prodigiô, & Mater tua fiat, & Virgo permaneat.

O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate, immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines, exclamat Spiritus ſanctus Sap. 4. v. 1.

O IESU Caſtiſſime! hanc Te gratiam, quàm ſuppliciter poſſum, rogo, ut me, inſtar Angeli, Spiritu, & carne caſtum efficias.

II. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

ELIZABETH à MARIA *Viſitata*.

O IESU! Eximia tua ergà puritatem propenſio magis clareſcit, quandò in *Mariæ* Uterô factus homo, internâ Eam inſpiratione excitas ad cognatam ſuam *Elizabetham*

Digitized by Google

zabetham viſitandam, eô præcipuè ſpectans, ut *Joannem* in maternô Uterô à labe originali purifices, omnigenaſque virtutes, & inter has virginalem caſtitatem Ei infundas.

Veriſſimè Te, ò Salvator! præcipuum Virginitatis amatorem demonſtraſti, dum ex beneplacitô tuô Uterque *Joannes* in ævum Virgo permanſit, nempè *Joannes* (Filius *Zachariæ*) *Baptiſta* & *præcurſor* tuus, nec non *Joannes* [Filius *Zebedei*] *Apoſtolus* tuus, & *Evangeliſta*, qui (ob ſpecialem caſtitatis virginalis prærogativam) cæteris Apoſtolis magìs à Te dilectus, ſuprà pectus tuum in cænâ recubuit, dignuſque habitus, cui in cruce moriens Matrem tuâm Virginem Virgini commendaſti.

O IESU! Fac me quoque caſtitatis donô dilectum Diſcipulum tuum!

III. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

IESUS *in Stabulo* BETHLEEMITICO *Natus.*

O JESU! quantî Virginalem æſtimes puritatem, rurſus in ſtabulô *Bethleëmiticô* palam facis, dum ex *Mariâ* ante partum, in partu, & poſt partum puriſſimâ, & inviolatâ ſemper Virgine homo naſceris.

O

Digitized by Google

O *Maria*! O Læta Dei Mater, ſimul & Virgo! Patrona, & Advocata mea Chariſsima, colendiſsimaque! impetra mihi [quæſo] à Filio tuo, ſummo caſtitatis amatore, præpotentem gratiam, quâ anteacti temporis impudicitias (quibus ipſum, Deum, ac Salvatorem meum, graviſsimè offendi) jugiter defleam, atque deinceps caſtitatem ſtatui meo convenientem, amore ejuſdem Filii tui, diligenter excolam, numquàm opere, verbo, aut cogitatione ipſam violandô.

O Jesu ipſa puritas! ſolus tui ſacer amor, profani, impurique amoris diſrumpit vincula. Obſecro te quàm poſſum maximè, ſacrum illum tui amorem cordi meo infundas.

IV. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

Jesus *in Templo oblatus.*

O Jesu! in hocce oblationis in templô Myſterio non niſi caſta aſpectui meo repreſentantur objecta, ad caſtitatis amorem plurimùm excitantia.

Nam inprimis Perſona offerens eſt caſtiſſima Virgo *Maria*, Mater tua. Perſona, quæ offertur, tu ipſe es, ò caſtiſsime Jesu, & Virginum ſponſe! Perſona, cui offereris, eſt Pater tuus cæleſtis, omnis caſtitatis fons. Finis, ob quem offereris, Tuque

que ipſè Patri tuo te offers, eſt, ut pretiſô ſanguine tuô, à peccatis purificer.

O Utinam maxima mihi illa obtingat felicitas, Deus meus! ut, ex mutuo in te amore, Virginalem Majeſtati tuæ pudicitiam votô perpetuò offerre, eamque toto vitæ decurſu immaculatam, tuo munere, cuſtodire liceat!

Si autem vocatio, vel conditio mea id fortaſsè non patitur; Firmiſſimè equidem decerno, ac ſtatuo, ſtatus mei, ſive Matrimonialis, ſive vidualis, caſtitatem nunquam vel in minimo violare.

O Jesu! gratiam tuam, ad hoc animi mei decretum fideliter, perfectèque exequendum, Unicè neceſſariam, ſupplex expoſtulo.

V. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

Jesus *in Templo inter Doctores repertus.*

O Iesu! *Maria* Mater tua, ac *Joſeph* Pater tuus nutritius poſt Feſta Paſchalia *Jeroſolimis* repetentes *Nazarethum*, Te puerum 12. annorum ſuis inculpatè aſpectibus ſubductum vehementer dolebant; quàm igitur acerbô ego mærore affligi debeo, qui meis, eheu! impudicitiis ſæpiſſimè in cauſa fui, cur Te, gratiamque tuam animæ meæ ſubduxeris!

Maria,

Digitized by Google

Maria, ac *Joſeph* Te in Templo, poſt triduanam inquiſitionem, in mediô Doctorum repertô ſummopere lætabantur, ò! quantâ me perfundi lætitiâ oportet, cum Te (omne bonum meum) acerbô de impudicitiis meis dolore quæſitum, in gratiam tuam de novô receptus, in animâ meâ reperio!

O Jesu! largire mihi (quæſo) acerbum illum dolorem, ex tui amore profluentem, quem ardenter exopto, cordi meo ad ultimum uſque halitum permanenter inhærere.

EXERCITATIO VIRTUTIS CASTITATIS, CIRCA V. MYSTERIA DOLOROSA.

I. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *in Hortô* Olivarum *ad mortem uſque contriſtatus.*

O Jesu! mæſtiſſimô illô in hortô dicentem Te audio: *Triſtis* eſt *anima*

Digitized by Google

mea uſque ad mortem : Tuuſque *Evangeliſta* teſtatur, quod *factus ſit ſudor tuus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.*

Aſt, quæ hujus funeſtiſſimæ tragœdiæ cauſa? Utique delicta mea, ac præſertim impudicitiæ abominandæ.

Peccatum, nominatim impuritatis, ab interiori delectatione in anima peccatoris exordium ſumit, atque hæc eſt ratio, cur, ò miſericordiſſime Redemptor! Patri tuo cæleſti pro impuritatibus meis internô animi dolore, & angore maximô incipis facere ſatis.

Næ ipſis rupibus durior ſum, ſi amariſſimis tuis lachrymis, ſanguineiſque ſudoribus pro me fuſis, non efficaciter moveor, ad anteactas impudicitias meas ſanguineis etiam (ſi poſſibile foret) lachrymis deplorandas.

Imò, ò Jesu Puriſſime! toto corde eas deteſtor, ac defleo: Eligoque omnium fortunæ bonorum, honoris, ipſiuſque vitæ jacturam facere potiùs, quam poſthàc divinæ Majeſtati tuæ minimâ etiam impudicitiâ diſplicêre.

II. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *A* Pilati *militibus flagellatus.*

O Jesu! Nova hìc, Urgentiſſimaque occurrunt motiva ad impudicitias meas

Digitized by Google

oto corde deteſtandas, deplorandáſque, quòd nimirùm in cauſa ſunt, cur milites, ex mandato *Pilati* Præſidis, te nudum columnæ adſtringunt, flagellis crudeliter cædendum.

Nempè hac tuâ, quam pateris, ô Salvator! nuditate (quæ animabus caſtis tormentum eſt omni morte longè horribilius) pudendas corporis nuditates [quibus ego, eheu! plurimos ad tui offenſionem allexi] eluere tibi eſt animus.

Sunt & aliæ impuritates meæ, humanis quidem oculis occultæ, ſed divino aſpectui apertæ, quæ Tibi immaniſſimum flagellationis ſupplicium cauſarunt. Ut enim animam meam, ô Clementiſſime Redemptor! à ſpurcitiarum ſordibus mundares, pretioſum è venis ſanguinem copiosè extrahi ſinis.

Igitur æquitas, gratitudo, amorque mutuus (quem tibi, ô Jesu amantiſſime! debeo) poſtulant, ac jubent, ut omnes obſcænitates, ac impudicitias quàm maximè execrer, eaſque ipſe in me ulciſcar, carnem Vigiliis, jejuniis, flagellis, aliiſque afflictationibus caſtigandô.

III. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Spinis coronatus.*

O Jesu! dum ſpineo diademate tempora tua redimîta conſpicio, novô de

Digitized by Google

impudicitiis meis pudore ſuffundor. Spinæ iſtæ, prô dolor! in maledictâ cordis mei tellure creverunt. Ipſe ego corônam illam horridam (impuris manibus meis ex ſenticoſis ſpinis contextam) Capiti tuo non tam impoſui, quàm fortiter impreſſi.

Pater tuus cæleſtis, ob luxuriæ peccata mundum diluviô aquarum ſubmerſum punivit: *Sodomam*, & *Gomorrham*, aliaſque vicinas urbes, igne ſulphureô de cælis emiſsô combuſtas, ſolo æquavit: univerſamque ferè tribum *Benjamin* ferrô percuſſam delevit.

Eheu! quantam ego nefandis meis ſpurcitiis pænam promeritus ſum! ſed Tu, ò benigniſſime Salvator! facilè illâ me liberabis, vel unam ex ſpinis, caput tuum perfodientibus, Patri cæleſti in multiplicium, horrendiſſimarumque ſpurcitiarum mearum ſatisfactionem offerendô.

Hunc à Te, ò liberaliſſime Salvator! favorem enixè peto.

V. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *Crucem Bajulans*.

O JESU! Quando Te ponderosâ crucis trabe onuſtum per compita *Jeroſolimæ* non tam incedentem, quam reptentem intueor, in memoriam redeo omnium nefan-

nefandarum mearum impuritatum,quibus incomparabiliter plus, quam ipsâ cruce gravaris, ac cruciaris.

O caſtiſſime Agne! maximô ſemper odiô, atque horrore impuritatem averſatus es. Etſi enim, ad nos contra diaboli impugnationes roborandos, paſſus es, ut infenſiſſimus generis humani hoſtis in deſerto externis te gulæ, avaritiæ, & ſuperbiæ tentationibus impugnaret, nihilominus paſſus es numquam, ut ad impuritatem ulla te ratione ſolicitaret. Quod amplius eſt, permiſiſti quidem, ut adverſarii tui *Judæi* graviſſima tibi impingerent crimina, te, ceu potatorem vini, falſum Prophetam, ſeductorem Populi, hominem ambitioſum, ac magum traducendô: at permiſiſti numquam, ut, vel tu, vel tuorum aliquis diſcipulorum in minimam impuritatis ſuſpicionem apud *Judæos* veniret.

Tantopere ſcilicet Tu, ipſa puritas, impuritatem exhorres!

O Clementiſſime Redemptor! meritô bajulationis crucis tuæ, id mihi, obſecro, gratiæ largire, ut & ego à fædiſſimo iſtô peccatô totus abhorream, ſanctôque ipſum odiô jugiter perſequar.

Digitized by Google

V. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *In cruce mortuus.*

O IESU! quàm acerbum pudor tuus Virgineus patitur dolorem, dum in *Calvariæ* monte trium intervallô horarum nudus è cruce pendes!

Quando in atriô *Pilati* à crudelibus lictoribus *nudus* columnæ adſtringebaris, immaniter cædendus flagellis, id non niſi coram paucis hominibus contigit: Aſt in cruce nudus exponeris aſpectibus plurimorum millium, qui feſtivitatis Paſchalis celebrandæ ergò, *Jeroſolimam* convenerant.

O mi dilectiſsime Redemptor! Ratio præcipua, [ob quam moleſtiſsimam nuditatis verecundiam ſubire haud detrectas] procul dubio eſt: ut pœnas infamibus nuditatibus meis debitas ipſe exolvas!

Iterum, iterumque corde contritô illarum veniam deprecor, obteſtorque Te, ut in cruce animam agens ultimam mihi benedictionem tuam impertiaris, virtute cujus deinceps nefandas nuditates, ſpurcitiaſque omnes penitus abhorrens, caſtitatem ſtatui, ac conditioni meæ congruam ſummo ſtudiô, diligentiâque excolam.

E X-

Digitized by Google

EXERCITATIO VIRTUTIS CASTITATIS, CIRCA V. MYSTERIA GLORIOSA.

I. MYSTERIUM GLORIOSUM.

JESUS *à morte reſurgens.*

O JESU! incredibili gaudiô tua me afficit reſurrectio glorioſa, per quam ſcilicet de hoſtibus tuis triumphas victor glorioſus, mihique optimam ſpem paris, fore ut glorioſô in corpore aliquandò è tumulô quoque reſurgam, ſi tamen hìc illicitis carnis deſideriis, tua opitulante gratiâ, generosè reſtitero; Ait namque Apoſtolus tuus 1. *Cor.* 15. v. 50. *Caro & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt.* Id eſt, homines pravis carnis, ſanguiniſque propenſionibus obſequentes, ſupremum in obſcænis delectationibus conſtituendô finem, nullam in poſſeſſione Regni Dei, neque proindè in reſurrectione glorioſâ partem habebunt.

 Qu-

Quapropter fixum mihi eſt Angelicæ S. *Thomæ Aquinatis* Militiæ adversùs carnis vitia nomen dare, illôque glorioſiſſimo Duce [qui fuit puritate Angelus, priuſquam Doctor eſſet Angelicus] contra impudicos *Cacodæmonis Aſmodei* inſultus ſtrenuè dimicare.

Juxta præſcriptas ejuſdem Militiæ Angelicæ regulas, caſtitatis zonâ præcinctus, indies ad 15. Zonæ nodulos in honorem 15. Myſteriorum noſtræ redemptionis piè ſalutationem Angelicam recitabo, Matris tuæ *Mariæ*, nec non caſtiſſimi *Aquinatis* apud Te, O Jesu! Patrocinium implorans, ut ſingulari gratiæ tuæ beneficiô, hîc caſtè ſemper vivendô, glorioſæ reſurrectionis conſors fiam.

II. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Jesus *in Cælum aſcendens.*

O Jesu! glorioſa tua in Cælum aſcenſio ſpem mihi adauget fore, ut & ego aliquandò Cælum conſcendens, clarâ divinæ eſſentiæ tuæ viſione æternùm fruar, juxtà promiſſionem tuam *Matth.* 5. v. 8. *Beati mundô corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

Etſi enim antehàc contrà caſtitatis virtutem graviter, ac multipliciter deliqui; nunc tamen, gratiâ tua, O Jesu ipſa puritas

Digitized by Google

ritas! tuique amore, præteritas impudicitias meas planè deteſtor, ac defleo, militiæque Angelicæ adſcriptus adversùs carnis vitia milito ſub ſignis puriſſimi Angeli S. *Thomæ Aquinatis*, cujus intercedentibus meritis planè confido omnes impuras à me tentationes deinceps ſuperatas iri.

Neque patiar umquam (quemadmodum Angelicæ Militiæ leges à commilitonibus exigunt) ut me præſente agatur, aut dicatur quidpiam, caſtitatis virtuti tantillùm repugnans.

O Clementiſſime Salvator! Mihi ſub vexillo puriſsimi Ducis *Aquinatis* militanti [quæſo] præpotenti gratiæ tuæ adjutoriô ſubveni, ut devictâ carne Te in Cælum aſcendentem ſequi dignus ſim.

III. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Spiritus Sanctus ad Apoſtolos miſſus.

O Iesu! Hoc in me [oro] confer gratiæ, ut Spiritum ſanctum (quem feſtivâ Pentecoſtes die in linguis igneis ad Apoſtolos miſiſti) ad me inviſibiliter mittere dignêris, qui animum meum adversùs impuras tentationes corroboret, victoremque efficiat.

S. *Auguſtinus* Serm. 294. Tom. 5. pronuntiat: *Inter omnia Chriſtianorum certa-*

mina ſola duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria. Et S. *Remigius* ait: *Ob vitium carnis pauci (exceptis parvulis) ſalvabuntur.*

Quidam Sancti (ut fert hiſtoria) ad carnis impugnationes vincendas nudum in ſpinis corpus volutarunt (uti S. *Benedictus*) alii in nive (uti S. *Franciſcus*) alii in lacum ſemi-congelatum proſilierunt [uti S. *Bernardus.*]

Verùm, ò dulciſsime Salvator! extremorum illorum remediorum uſus mihi haud quaquàm erit neceſſarius, ſi Spiritus ſanctus à Te miſſus cor meum divini amoris igne ſuccendat. Puriſsimus namque ignis iſte, omnem ignem impurum facilè ſuperabit, atque extinguet.

Mitte igitur, ô JESU! ſupplex rogo, Spiritum ſanctum tuum, qui magis ac magis ſacrum illum divini amoris ignem in me accendat, inflammetque: & à pudicitiæ meæ inſidiantibus hoſtibus non timebit cor meum.

IV. MYSTERIUM GLORIOSUM.

MARIA *In Cælum aſſumpta.*

O IESU! Quandoquidem Genitricem tuam, ſemperque Virginem *Mariam* in Cælum aſſumere dignatus es, ut cauſam meam in cæleſti foro agat, ego in duriſ-

duriſsimò caſtitatis prælio miles imbecillis ſub potentiſsimum Patronæ meæ præſidium fidenter confugio.

O *Maria!* ò caſtiſsima Virgo, Virginum ac Sanctorum omnium Regina! Ad Te clamo, ac ſuſpiro gemens, & flens: illos tuos miſericordes oculos ad me converte, mihiquè à Filio tuo inæſtimabile caſtitatis perpetuæ donum obtine.

Ad Virginalem quod attinet puritatem, longè me felicior extitiſti ſemper, quòd ſpeciali Cœlî prærogativâ ab omni externâ, internâque impuritatis tentatione libera numquam non fueris: ſed vel ideò majori erga me commiſeratione afficeris, quòd noveris me hominem infirmum, cum Apoſtolo *Paulô*, à carne contra ſpiritum concupiſcente, ſæpiſsimè impugnari.

O caſtiſsime *Ioſeph*, Virgo, & Sanctiſsimæ Virginis ſponſe! O Sancte *Thoma*, puritate Angele, & Militiæ Angelicæ Ductor, ambo Patroni mei ſingulares! orate [quæſo] Virginem-Matrem, ut ſuô apud Filium Patrocinio, de ſuperatis caſtitatis impugnatoribus valeam triumphare.

V. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Maria *in Cœlo coronata.*

O Iesu! meritò genitricem tuam *Mariam* in cæleſti palatiô coronas, tamquam om-

nium Sanctorum, ſed præcipuè Virginum Reginam, quòd ipſa Virginitatis lilium, votô perpetuô divinæ tuæ Majeſtati conſecratum, primâ in myſtico Eccleſiæ horto plantavit.

Profectò quantô in pretiô, & amore apud *Mariam* ſemper extitit pudicitia Virginalis, perſpicuè demonſtravit, dum ex Angelo *Gabriele*, incarnationis Filii Dei nuntiô, quæſivit: *Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*, non priùs in maternitatem Dei conſentiens, quàm ex eodem cæleſti legato percepit, ſeſe, ſolâ Spiritus S. Operatione, Filium Dei in utero ſuo Virgineo concepturam, adeò ut ſimul Dei Mater fieret, & Virgo permaneret.

O Salvator amantiſsime! Tu ſponſus es cæleſtis [cujus deliciæ ſunt *paſci inter* lilia, id eſt, cum animabus caſtis te unicè diligentibus intimè converſari] effice me (obſecro) ejuſmodi lilium, ut cum *Mariâ* ſemper Virgine à Te in Cælo coronari merear.

F I N I S.

E X-

Digitized by Google

EXERCITATIO POENITENTIÆ

Interioris, ſive doloris de peccatis.

CIRCA

V. MYSTERIA GAUDIOSA.

I. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *ab Angelo* GABRIELE *Virgini* MARIÆ *Annuntiatus.*

O Sanctiſsima Trinitas, Unus Deus! acerbiſsimè cordi meo dolet, quod divinam tuam Majeſtatem graviſſimis, innumeriſque peccatis offenderim. Ad primum verò Myſterium quod attinet gaudioſum; mœrore propemodum conficior, attentâ mente perpendens, quod tu, ò Deus meus! tantoperè me dilexeris, ut, *Gabriele* Archangelô nuntiô, humanam ex Virgine naturam propter me aſſumpſeris; & ego è converſò ſingulariſ-

Digitized by Google

ſimum illum tuum in me amorem non ſolùm amore mutuo non rependerim, verùm etiam, enormiter in Te ſæpè delinquendo, turpiſsimam ingrati animi infamiam ſubiverim.

Quid? Tu, ô Jesu, Deus de Deo Patre ab æterno genite! in tempore factus es homo, ut me divinitatis tuæ participem efficeres! Et ego, ex nihilô tuâ extractus potentiâ, homoque conditus, prò dolor! me ipſe jumentis inſipientibus ſimilem, & ex adoptivô Dei Filiô [qualis beneficiô Baptiſmi evaſeram] diaboli mancipium propriâ culpâ effeci!

O Clementiſsime Salvator! Quò jugiter defleam noxas meas, fac [obſecro] de oculis meis binos fontes medicinalium, ac ſalutarium lachrymarum, quæ (teſte glorioſô Patre *Auguſtino*) *dulciores ſunt gaudiis theatrorum.*

II. MYTSERIUM GAUDIOSUM.

Elizabeth à Maria *Viſitata.*

O Jesu! ingenti quidem me lætitiâ afficiunt eximia per *Mariæ* Viſitationem in hoc ſecundô Myſterio gaudioſô, *Elizabethæ*, *filioque* ejus *Joanni*, adhuc maternô in uterô exiſtenti, collata beneficia; attamen lætitiam iſtam vehementî animi dolore permiſcere cogor, memor bene-

ne-

neficiorum naturæ & gratiæ à Te mihi liberaliſsimè exhibitorum, nec non ingratudinis meæ in Te benefactorem meum, quem, eheu! peccata peccatis accumulandô, graviter offendere numquam deſtiti.

O *Maria*! Filius tuus JESUS Te, veluti organô ad totam *Zachariæ* domum cæleſtibus ditandam favoribus, uſus fuit: humili, ac ſupplici prece Te obteſtor, hoc mihi gratiæ à Filio tuo Salvatore impetres, ut ex admiſsis culpis ob bonitatem divinam offenſam acri urar dolore, neque priùs ego dolori huic finem (quam ille vitæ meæ mortali) imponam.

III. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in Stabulô* BETHLEEMITICO *Natus*.

O JESU! juxtà *Apoſtoli* monitum lubet hìc *gaudêre cum gaudentibus*, ac *flere cum flentibus*.

Gaudeo profectò, & plurimùm gaudeo cum Angelis & Paſtoribus, de tua ex Virgine in ſtabulô Bethleëmiticô nativitate gaudentibus, ac præſertim gaudeo cum *Maria* Matre tua, quæ omnis doloris expers Te læta peperit, nullum Virginitatis [quæ ſpecialiſsima prærogativa eſt] patiens detrimentum: Quemadmodum

 enim

Digitized by Google

enim radius ſolis Chryſtallum abſque cryſtalli fractione pertranſit, ita tu, O JESU! homo naſcens per maternum tranſiviſti uterum, ſignaculô Virginitatis penitùs intactô.

Verùm cum *Davide*, *Magdalena*, *Petro*, cæteriſque noxas ſuas amarè flentibus, etiam fleo.

Et quomodò non flerem peccata meà magna & multiplicia nimis, quandò Te in nativitate tua intueor flentem, non naturę coactione (uti Filii Evæ recenter nati) ſed propriæ voluntatis electione, meis eluendis peccatis.

Permitte igitur, O infans divine! ut cum tuis lachrymis permiſceam meas, quibus anima mea peccandô ſuper carbones denigrata, ſuper nivem dealbetur.

O JESU! dona mihi (quæſo) copioſas verę pœnitentiæ ex benevolô tui amore ſcaturientes lachrymas!

IV. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

IESUS *in Templô oblatus.*

O JESU! in hoc quartô *Myſteriô* gaudiosô pergo cum lætitià triſtitiam in animô meô copulare.

Enimverò ſummoperè lætor, quod *Maria* Mater tua ſanctiſsima Te, filiolum ſuum in Templo *Ieroſolimitano* offert, Tuque

Digitized by Google

que ipſe Te Patri cęleſti pro mea, omniumque hominum æterna ſalute ibidem offers. Sed etiam ſummoperè triſtor, quod peccata mea in cauſa ſunt, cur, juxtà prædictionem *Simeonis*, *poſitus es in ſignum, cui contradicetur*, tuuſque *doloris gladius* Matris tuæ Chariſſimæ *animam pertranſibit.*

Lætor non parùm, conſiderans, quod *Simeon* annoſus ſenex, Te in ulnas ſuas recipiens, ex hôc exiliô ad cæleſtem dimitti patriam ardentibus votis poſtulavit: at non parùm quoque, imo maximè triſtor, quod peccata mea impediant, ut ne Te, amantiſsime Jesu! cordis mei complectar ulnis, & ad Cælum ſuſpirem.

V. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

Jesus *in Templo inter Doctores repertus.*

O Jesu! Et in hoc ultimô Myſteriô gaudiosô pariter gaudeo & doleo.

Gaudeo ſiquidem cum *Mariâ*, & *Joſepho*, Te, puerulum 12. annorum *Jeroſolimis* in templo inter Doctores ſedentem reperientibus; ſed etiam cum iiſdem doleo, quòd Te, Deum meum & omnia tam ſæpè peccando amiſerim (non corporalis præſentiæ ſubtractione, & abſque ullâ culpâ, ſicut *Maria* & *Joſeph* te amiſerunt)

Digitized by Google

ſervant) ſed gratiæ, & amicitiæ tuæ privatione, idque maximâ mea culpâ.

Igitur dole, ò anima mea! culpam tuam, nullumque dolori tuo limitem præfige, quia peccatis tuis præfixiſti nullum.

Tuam, O Jesu! clementiam iterum, iterumque, ſupplex imploro, ut ſaluberrimum iſtum dolorem mihi impertiri digneris.

EXERCITATIO POENITENTIÆ

Interioris, ſive doloris de peccatis

CIRCA

V. Mysteria Dolorosa.

I. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *in Hortô* Olivarum *ad mortem uſque contriſtatus.*

O Jesu! Cur in horto *Olivarum triſtis eſt anima tua uſque ad mortem*? Cur omnia corporis tui membra oculos, ſanguineas lachrymas fundentes

dentes, convertis; nimiô ſcilicet cordis tui angore *guttas ſanguinis decurrentis in terram* copiosè exprimente?

Quis luctuoſiſsimæ hujus *Tragœdiæ* Auctor? Prô dolor! ego, ego ipſe, pro cujus noxis triſtitiâ illâ lethali, ſummôque cordis angore incipis Patri cœleſti ſatiſfacere ſatis.

O mi amantiſſime Redemptor! liceat mihi [obſecro] liceat cor meum mœrens triſtiſſimô illô in hortô tuo divino cordi mœrenti unire, meaſque de peccatis doloris lachrymas ſudori tuo ſanguineo permiſcêre!

II. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus A Pilati militibus flagellatus.

O Jesu! Adeône in Te crudelis, & in me benignus es! Meâ ſcilicet causâ Te à ſævis lictoribus columnæ nudum alligatum, immaniſſimè flagellis cædi permittis.

O quàm verè hìc *Pſalmographi* verba uſurpares *Pſal.* 128. v. 3. *Suprà dorſum meum fabricaverunt*, vel ut 70. per metaphoram interpretantur, *araverunt*: id eſt, flagellis, quaſi aratrô corpus meum proſciderunt, ſic ut *dinumeraverint omnia oſſa mea* Pſal. 21. v. 18.

O

O innocentiſſime Salvator! ego me ad pedes tuos proſternens, humumque fusô ſanguine tuô madentem Religiosè exoſculans, ſcelera mea, flagellorum tuorum cauſam, intimô cordis ſenſu deteſtor, ac defleo, veniamque humillimè deprecor: Neque priùs ab humo, in qua coram divina Majeſtate tua proſtratus jaceo, me levabo, quam auri cordis mei inſonuerint verba illa, olim à Te *Magdalenæ* pœnitenti dicta *Luc*. 7. v. 48. *Remittuntur tibi peccata ... vade in pace*.

III. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *Spinis coronatus*.

O IESU! novum hìc, & retro-actis ſeculis inauditum ante oculos mihi obverſatur ſpectaculum, ad peccata mea amarè deflenda vehementer me impellens.

Enimverò coronâ ſenticoſis contextâ ſpinis caput tibi per ludibrium à militibus redimîtur, & ne fortè ex eô decidat, armata manu, baculôque arundineo fortiter imprimitur.

O JESU patientiſſime! quæ acerbiſſimorum dolorum, & maximorum dedecorum, hâc coronatione ſpinea, Tibi inflictorum, cauſa eſt?

Quæ? Non alia ſanè, quam iniquitas mea, magna, & numeroſa valdè. Intolerabilis

Digitized by Google

lerabilis mentis ſuperbia, & carnis oblectationes illicitæ, quibus me, prô dolor! totum permiſi, atque habenas pleniſſimè relaxavi.

Nimirùm, ut me Patri tuo graviſſimè offenſo reconciliares, in ejuſque gratiam, & amicitiam reduceres, horrendiſſimum ſpinarum cruciatum, ac ludricæ coronæ ignominiam lubenti animô pertuliſti.

Atque adeò perquàm dignum, & juſtum eſt, O Jesu! ut omnes iniquitates meas, tantarum ærumnarum cauſam, amore tui deteſtari, ac deflere jugiter pergam.

O Utinam lachrymis, etiam ſanguineis eluere eas valeam!

IV. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Crucem bajulans.*

O Jesu! Dum Te, ponderosâ crucis trabe, nec non peccatorum meorum ſarcinâ longè ponderoſiori, prægravatum conſpicor, novus cordi meo, ingentiorque dolor inuritur.

Ah! quî fieri potuit, ut ego in te, eximium benefactorem meum, adeò ingratus extiterim hactenùs, ut me divinæ Majeſtatis tuæ reum graviſſimis peccatis conſtituere ſæpiſſimè non ſim veritus?

Age igitur [ô mi dilectiſsime Redemptor!]

Digitized by Google

tor!] ſalutarem pœnitentiæ crucem, quantumcumque ponderoſam noxiis meis injice humeris, hìc non parcens, ut in æternum parcas.

Valete, valete conſolationes humanæ! *abſitque mihi gloriari, niſi in cruce tuâ*, ò *Domine* JESU CHRISTE! *per quem*, ut *mihi mundus crucifixus ſit*, & *ego mundo*, toto corde exopto.

O JESU! Fac me de peccatis meis ingemiſcere ſemper, & Te ſolô, verô Deô meô, delectari.

V. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *in Cruce mortuus.*

O JESU! quàm triſte hìc in monte *Calvariæ* oculis mentis meæ ſeſe obiicit ſpectaculum? Eheu! Te, diris cruci affixum clavis, trium horarum intervallô cum morte luctantem, aſpicio!

An poteris, O benigniſsime Salvator! gratiam, quam à Te (priuſquam in cruce expires) ſupplex poſtulo, mihi denegare: Tu qui toto vitæ tuæ decurſu eximium tuum in me amorem tam evidentibus argumentis comprobaſti?

Non aliam porrò à Te gratiam peto, quàm ut peccata mea, amore tui, conſtanter plorem, eorumdemque remiſsionem obtineam.

O

O Utinam integrum lachrymarum oceanum, iniquitatibus meis expiandis, liceret profundere.

Ad pedem tuæ crucis, O Jesu! humi procumbens, in conſpectu ſanguinis tui pretioſi pro me effuſi, confiteor me, tamquam filium degenerem, graviſsimè ſæpe in Te deliquiſſe: Aſt nunc vehementer doleo, eligoque tecum in cruce millies mori potiùs, quàm vel unâ deinceps mortalî bonitatem tuam infinitam noxâ offendere.

EXERCITATIO POENITENTIÆ

Interioris, ſive doloris de peccatis CIRCA V. MYSTERIA GLORIOSA.

I. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Jesus *à morte reſurgens.*

O Iesu, à morte ad immortalem, glorioſamque vitam propriâ virtute, tertia

tertia die reſurgens! Tuô quidem cæleſti triumphô exultat præ gaudiô cor meum, aſt eidem infixus hæret, & utinam uſque ad ultimum vitæ ſpiritum infixus hærere pergat, urens dolor de graviſsimis meis peccatis, quæ omnium tuorum cruciatuum, & ignominiarum, ipſiuſque crudeliſsimæ, ac turpiſsimæ necis (quam pro mea ſalute in cruce perferre dignatus es) cauſa extitêre.

O Clementiſsime Salvator! quandoquidem glorioſa demortui corporis tui reſurrectio, reſurrectionis animæ meæ, vitâ gratiæ privatæ, illuſtre ſit exemplar, triplicem ab infinita tua bonitate favorem ſuppliciter rogo; ac primò quidem, ut quemadmodum corpus tuum à morte corporali. non apparenter, ſed verè ad vitam redivit corporalem, ita anima meâ à morte ſpirituali re ipsâ, virtute contritionis perfectæ, redeat ad vitam ſpiritualem.

2. Sicut corpus tuum reſurgens, novâ vita corporali, eaque gloriosâ donatum fuit, ita anima mea à morte peccati ſuſcitata, novâ vitâ ſpirituali donetur, quâ Charitatis, aliarumque Chriſtianarum virtutum officia, majori ſpiritus fervore, & conſtantiâ, quam anteà, jugiter exerceat.

3. Ut quemadmodum Tu, O Jesu! à morte corporis revocatus, non ampliùs cor-

Digitized by Google

corpore moreris, ità ego, à morte animæ, tuâ ſingulari benevolentiâ, ſuſcitatus, deinceps peccandô mortem animæ non incurram.

II. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Jesus *in Cælum aſcendens.*

O Jesu! Dum Te, ceu triumphatorem glorioſiſsimum è monte *Olivarum* fidei oculis intueor Cælum conſcendentem, vehemens quidem Te in Cælum ſequendi exurgit in animô meô deſiderium, ſed eheu! vereor ne peccatorum meorum gravitas, ac multitudo ab hujus ſanctiſsimi deſiderii conſecutione me impediat.

Nihilominus haud exiguô mihi ſolatiô eſt celebre iſtud magni Patris *Auguſtini* aſſertum, penes me flagiotioſiſsimum peccatorem eſſe, ſcalam (tuæ gratiæ adjutoriô) de peccatis meis conficere, per quam tecum, ò dilectiſſime Redemptor! Cælum conſcendam; nempè perverſos, perditoſque animi affectus [qui, prô dolor! ſupergreſſi ſunt caput meum, ſivè qui libero voluntatis meæ arbitrio tyrannicè dominantur) ſpiritus imperio, atque dominationi verâ perfectâque contritione ſubigendô.

O

O Jesu miſericordiſſime! veræ iſtius, perfectæque contritionis donum à Te omni quâ poſſum humilitate, ac fervore efflagito.

III. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Jesus *Spiritum S. ad Apoſtolos mittens.*

O Jesu! dum in tertiò Myſteriò glorioſò obſervo, Spiritum ſanctum feſtivâ Pentecoſtes die ad Apoſtolos viſibiliter à Te mitti; reminiſcor, eundem mihi ſpiritum à Te olim in Baptiſmate collatum, per quem, infusâ gratiâ ſanctificante, animam meam ab originalis noxæ maculâ purgatam, tuam in filiam, amicam, ſponſam, regnîque cæleſtis hæredem miſericorditer adoptaſti.

Sed, prô dolor! ego miſellus homuncio, ubi rationis uſu primùm potitus fui, quid egi? Tantùm abeſt, ut tantorum memor beneficiorum me ipſe ad Te, ò bonitas infinita! ceu ad ultimum meum finem, amore prædominante, converterim, ut è contrariò omnes animi affectus, ſtudiaque in res creatas tranſtulerim, perverſis carnis libidinibus ſine frænô obſequens, illicitiſque ſenſuum voluptatibus me totum permittens.

Ah! quis mihi det tam execrabile facinus condignis perfectæ pœnitentiæ lachrymis deplorare? Spi-

Spiritus tuus ſanctus, O Iesu! in *Hymno*: *Veni Creator Spiritus*, ab Eccleſia *fons vivus* appellatur, quòd nimirum ex ipsô, veluti ex puriſsimô, ac cæleſti fonte in animam veræ pœnitentiæ lachrymæ indeſinenter ſcaturiant.

O amabiliſsime Salvator! Tuum [quæſo] Spiritum ſanctum in animam meam peccatricem de Cælo mittere non dedigneris, ut ſaluberrimarum in eâ lachrymarum *fons vivus* exiſtat.

IV. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Maria *in Cælum Aſſumpta.*

O Iesu! quandò *Mariam* Matrem tuam in Cælum aſſumptam conſidero, ut, cæleſtium oceano deliciarum feliciter immerſa, totâ Te æternitate pefectiſſimè fruatur, mœrore penè conficior, quòd à tantæ participatione felicitatis meis excludar peccatis.

Porrò non tam mihi dolet, quod infernalis ignis pænam numquam finiendam ſubire cogar, quàm quod clara infinitæ pulchritudinis tuæ viſione, & amore fruitivo æternùm privabor.

Verùm procul à me, O *Maria*! ut, anteactorum ſcelerum horrore perculſus, æternæ ſpem ſalutis à me abiiciam, cum probè noverim, Te perditiſsimorum etiam refugium

fugium peccatorum, ideò in Cælum aſſumptam, ut meas apud Filium tuum Jesum partes jugiter agas.

Eja ergò advocata mea! tuos in me miſerrimum peccatorem miſericordiæ converte oculos, & ſicut innumeris aliis ſceleratis, tuum implorantibus patrocinium, perfectæ contritionis gratiam (quâ eximii effecti ſunt ſancti) à Genito tuo impetraſti, ita mihi [quæſo] eandem obtine gratiam, quâ ex maximô peccatore ſanctus evadam, & in ſanctitate ad mortem uſque perſeverans, tecum, ô *Maria*! in Cælum aliquando aſſumi merear.

V. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Maria *in Cælo coronata.*

O Jesu! benedicant, ac laudent Te inceſſanter Cæli, & terra, quòd beatiſſimam Virginem, genitricem tuam *Mariam*, ſuper cæleſtium ſpirituum choros longè evectam, tamquam Cæli, terræque Reginam in Cælo coronaveris; eamque divinorum theſaurorum tuorum diſpenſatricem conſtituere non dubitaris.

O *Maria*! coronam iſtam Regiam, quâ cunctis Cæli incolis maximè præcellis, filiali affectu etiam atque etiam tibi gratulor; hoc gratiæ à Te ſuppliciter iteratò poſtulans, ut acerbum de peccatis meis dolo-

Digitized by Google

dolorem, ex perfectô divinæ bonitatis amore promauantem, à Filiô tuô mihi obtinere ſatagas.

Poſſeſne, ò Mater gratiæ, Mater miſericordiæ! has ſupplices meas aſpernari preces, cum nihil perinde tibi in votis ſit, quàm ut ſervuli tui [quorum ego minimus] filium tuum IESUM, peccatis graviter offenſum, perfectâ cordis contritione placare ſtudeant?

Sine igitur Te, ô *Maria!* à me exorari: *Cor contritum & humiliatum* mihi impetra, quod genitus tuus non ſolùm *non deſpiciat*, verùm etiam in Cælô coronet.

FINIS.

EXERCITATIO POENITENTIÆ

Exterioris, ſive afflictationis corporis, ſenſuumque.

CIRCA

V. MYSTERIA GAUDIOSA.

I. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *ab Angelo* GABRIELE MARIÆ *Virgini Annuntiatus.*

O Sanctiſſima Trinitas, Unus Deus? Cum, prô dolor! corpore meo, ſenſibuſque (prævaricatione protoparentis multùm depravatis) adversùs legem tuam graviter delinquendô, abuſus ſim ſæpiùs, firmiter decerno, ac ſtatuo, deinceps corpus meum rebelle voluntariâ ſpiritui afflictatione ſubigere, vitioſaſque ſenſuum meorum propenſiones pro viribus comprimere, ac refrænare.

Ad

Digitized by Google

Ad primum verò Myſterium quod ſpectat gaudioſum: O Jesu! quam illuſtre voluntariæ afflictationis corporis exemplum mihi exhibes, dum, ad lætam Archangeli *Michaelis* ſalutationem, in utero Virginis homo fiens humanum corpus fame, ſiti, frigore, æſtû, aliiſque ærumnis afflictandum aſſumis?

Quid, quod anima tua, ob *hypoſtaticam* cum divinitate unionem, cæleſti gloriâ donata, glorioſi corporis dotes, atque inter illas impaſsibilitatem, & immortalitatem corpori tuo haud communicavit, ut pro meâ, omniumque hominum ſalute pati poſſes, & mori in cruce.

Denique tametſi jam indè à primô conceptionis tuæ momentô rationis uſu perfectè fruereris, maternô nihilominus uterô, ceu tenebroſô, moleſtôque carcere incluſus, integrô novem menſium intervallô, permanere voluiſti, omnium corporis motuum, ſenſuumque uſus planè expers.

O ſpontaneam innocentiſsimi corporis afflictationem, ſenſuumque minimè depravatorum compreſsionem, prorſus ſtupendam, & adorandam!

II. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

ELIZABETH à MARIA *Viſitata.*

O JESU! dum *Mariam* (ex Ea homo factus, ejuſque Virgineô concluſus uterô) illicò ad cognatam ſuam *Elizabetham*, ſuperatis *Judeæ* montibus, inviſendam, interiùs excitas, Matrem profectò tuam, veluti inſigne ſpontaneæ corporis ſenſuumque afflictationis ſpeculum mihi ob oculos ponis.

Imò ô *Maria*! ô beatiſsima Virgo, Dei Mater! nullâ teneritudinis, innocentiæque corporis tui ratione habitâ, aſperos *Judeæ* montes, maximô corporis incommodô, ac moleſtiâ, pedibus conſcendis, ut ad *Zachariæ* domum te conferas, uxorem Ejus *Elizabetham* officiosè ſalutes, promptaque obſequia ei exhibeas.

Inſuper, per viam incedens, ſenſus externos accuratiſsimè cuſtodis, ſummâque ſollicitudine comprimis, viſum præſertim & auditum, ne quidpiam percipere valeant, quô mens tua ab attenta divinarum rerum contemplatione diſtrahatur.

Eheu! quantô illuſtre iſtud Matris tuæ ô JESU! ſpeculum pudore me ſuffundit, qui, ne leviſſimâ nocentiſſimum corpus meum moleſtiâ afficerem, conſanguineos,

ex-

extraneoſque, obſequii mei indigos, inviſere, iiſque opem ferre neglexi hactenus! quique, illicitis oculorum, auriumque cupiditatibus obſequendo, Te, Deum ac Salvatorem meum graviſsimè ſæpius offendi!

O Clementiſsime Salvator! culpam humiliter confitenti, amarèque deflenti ignoſce, obſecro.

III. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

IESUS *in Stabulo* BETHLEEMITICO *Natus.*

O IESU! quàm admiranda, ac ſtupenda prorsùs hìc occurrunt prodigia! Ut Corpus tuum, ob *hypoſtaticam* cum divinitate unionem, ſanctiſsimum, atque innocentiſsimum, peracerbè afflictes, eligis pro tempore tuæ ex Virgine nativitatis, maximè incommodum, nempe brumale: pro locô, ſtabulum pecudum, ventis, aliiſque aëris injuriis expoſitum: pro cunis durum præsèpe, pro lectulo pauxillum fæni.

Quapropter deſinam poſthac admirari ſanctos [qui innocentiam *Baptiſmalem*, tuô, ò Salvator! ſpeciali munere integram conſervarunt] corpus jejuniis, Vigiliis, flagris, ciliciis, catenis ferreis, humi-cubationibus, aliiſque pœnitentiæ operibus

jugiter afflictaſſe, ſiquidem ſpontanea innocentiſſimi tui corporis afflictatio ipſis pro exemplari ante oculos continuò obverſabatur.

Ad me miſerrimum peccatorum quod attinet; pudore maximô pariter, ac dolore affectus, veniam ſuppliciter à Te, O JESU! deprecor, quod Tibi, tuiſque ſanctis adeò diſſimilis hactenus extiterim, corpus meum, multiplicibus, gravibuſque obnoxium peccatis, perquàm delicatè, molliterque tractandô.

IV. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in Templo oblatus.*

O IESU! eximiô tuô me pergis exemplô excitare ad noxium corpus meum condignis pænis afflictandum, dum in templô per *Mariæ* Matris tuæ manus Te ipſe, adhuc infantulus, Patri tuo cæleſti offers, ad omnigenas pro Ejus gloriâ, noſtrâque ſalute, tenerrimô, innocentiſsimoque corpore tuô ærumnas lubenti animô perferendas.

Apud *Pſalmographum* Pſ 39. Patrem tuum, Propheticè ita alloqueris, ingrediens in hunc mundnm; *Sacrificium, & oblationem noluiſti*: *Holocauſtomata* (vitulorum, & ovium) *non tibi placuerunt* utpotè ad divinæ tuæ juſtitiæ pro peccatis homi-

Digitized by Google

hominum faciendum ſatis minimè idonea, aut ſufficientia. Propterea *corpus aptaſti mihi*, ex puriſsimo Virginis *Mariæ* ſanguine formatum, quô pro redimendo humano genere immanes patiar dolores, ac crudeliſsimâ crucis nece occumbam. *Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam*; ô Pater!

Quid tu porrò ad hæc, ô anima mea! quæ corpus tuum innumeris, & enormibus inquinatum peccatis, tam molliter excepiſti hactenus?

O amantiſſime Redemptor! deficit mihi, (fateor, eheu!) animi robur, quô corpus meum condignis vexem pænis: ideo ipſe me divinæ tuæ offero Majeſtati, ut afflictiones, ærumnas, morbos, & quoſvis dolores (à tuâ paternâ providentiâ corpori meô pro peccatis juſtiſſimè immittendos) amore tui patienter, imo lubenter ſuſtineam.

V. MYSTERIUM GAUDIOSUM.

JESUS *in Templo inter Doctores repertus.*

O IESU! in hoc etiam Ultimô myſteriô gaudioſô puer 12. annorum delicatiſſimum, innocentiſſimumque corpus tuum affictas, quando *Maria* Mater tua, *Joſephque* Pater tuus nutritius tibi,

eorum oculis ſubducto, neceſſarium corporis alimentum ſubminiſtrare nequeunt. Vel enim ternos illos dies (quibus te chariſſimum filiolum amiſſum dolentes quærunt) jejunus agis, ab omni prorſus cibo abſtinens, vel ſolô panis fruſtulô emendicatô cibaris.

Totô inſuper tridui iſtius intervallô ſenſum viſus comprimis, gratiſſimô dilectiſſimæ Matris tuæ aſpectu illum privando, ut, quæ Patris tui cæleſtis ſunt, in templo (ubi à *Mariâ*, & *Joſephô* invenîris, in medio Doctorum ſedens) ſedulò peragas.

Prô dolor! quantùm ego, homo flagitioſus, à tuo, ô Jesu! exemplô imitandô abſum? Nedum petulans corpus meum neceſſarii alimenti ſubſtractione non maceravi; verùm etiam ſuperfluô cibò, potuque petulantius reddidi.

Tantum abeſt, ut oculos ab illicitis avertendô objectis caſtigaverim, ut [*Davidem* delinquentem ſecutus] in pudendas ſæpius direxerim nuditates, unde pudibundus, ac marens confiteri cogor, quod *oculus meus* [impudicus] *deprædatus ſit animam meam*, Utique Theſaurô ſuô immensô, qui tu ipſe es, ò dulciſſime mi Salvator!

Quàm ardentiſſimè exopto, & à Te duplex peto, da, ut *exitus aquarum deducant*

cant oculi mei, [amaras perfectæ contritionis lachrymas fundendò] *quia non cuſtodierunt legem tuam*. Pſ. 118. Atque adeò, ſicut ſecutus ſum *Davidem* delinquentem, ita quoque ſequar pœnitentem.

EXERCITATIO POENITENTIÆ

Exterioris, ſive afflictationis corporis, ſenſuumque.

CIRCA

V. Myſteria Doloroſa.

I. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *in horto* OLIVARUM *ad mortem uſque contriſtatus*, & *ſanguinem ſudans*.

O JESU! quàm hìc tuò rursùs confundor exemplò? Tu cum dilectiſſimis Diſcipulis tuis ſpontè hortum petis *Olivarum*, ut amariſſimam doloris Myrrham, & Aloëm colligas, & ego delicioſa mundi prata amo, ut illicitis corporis, ſenſuumque oblectationibus animum paſcam.

Digitized by Google

Tu verus Deus-homo (Cælorum deliciæ) adeò acerbum in anima mærorem excitas, ut vix non te vitâ privet: & ego ingens peccator, qui acerbiſſimô propter noxas meas mærore confici deberem, non niſi vana aucupor gaudia, propudioſis etiam ſæpe ſenſuum libidinibus habenas relaxans!

Angor nimius (cui Te, O mi Jesu! non tam ob crudeliſſimam mox in cruce ſubeundam necem, quàm ob graviſſimas noxas meas eluendas, ſponte permittis) è venis tuis copioſum ſanguinis ſudorem exprimit: Et ego, homo criminoſus, quem ultio divina, imminenſque ſupplicium æternum maximô deberent horrore, & angore percellere, tranquillam, jucundamque vitam ducere geſtio, animum, cogitationeſque à judiciis tuis plurimùm tremendis ſtudiosè diſtrahens. Quo fit, ut non ſolùm pænis ſpontè ſuſceptis corpus meum, ſenſuſque, exemplô tuô, ô mi Salvator! non affligem, verùm etiam pudendis omninò carnis voluptatibus totus immergar.

O Utinam, potentiſsimâ tuâ gratiâ, in alium hominem, rigoroſæ tuæ pœnitentiæ amatorem, imitatoremque tandem evadam!

II.

Digitized by Google

II. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *à Pilati militibus flagellatus.*

O Jesu! quantoperè hìc iterum emicat ſpontanea corporis tui, ſenſuumque afflictatio! perlubenti enim militibus *Pilati* animò indulges, ut ſanctiſſimum corpus tuum, veſtibus ſpoliatum, columnæque funibus adſtrictum, diriſſimis cædant flagellis.

Heu, Quid agitis lictores crudeliſſimi? In maximè innocentem ſævîtis, & graviſſimè nocentem impunè abire ſinitis.

Ego ego ſum, qui peccavi! ego ſpurcitiis, nefandiſque libidinibus ſæviſſima ſæpiùs promeritus ſum flagella.

Quare, agite milites! innocuum Jesum à columnà ſolvite, ſolutumque dimittite liberum: Me verò noxium eidem columnæ alligate, & flagellorum ictus in me convertite.

Verùm, O Jesu innocentiſſime! quandoquidem ferociſſimi lictores inſolitâ pergant crudelitate in corpus tuum ſanctiſſimum ſævîre, mihique parcant, ego me Tibi ſiſto, ut à paternâ manû tua flageller.

Multa flagella peccatoris, ait *Pſalmiſta* Pſ. 31. v. 13. *Et Apoſtolus Hæb.* 12. *v.* 6. *Flagellat* (Deus) *omnem Filium, quem recipit.*

Age itaque, O Jesu! *Quoniam in flagella paratus ſum Pſ.* 37. *v.* 18. Sceleratum hoc corpus meum fame, ſiti, frigore, æſtu, egeſtate, morbis, aliiſque pænis, & ærumnis, pro paternô tuô placitô flagellare, & caſtigare non ceſſes. Clementiſſimè mecûm actum exiſtimabo, ſi in tuorum numerum filiorum recepto, tamquam verus miſericordiarum Pater, non parcis hìc, ut in æternum parcas.

III. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Spinis coronatus.*

O Jesu, Rex Regum, ac Domine dominantium! tune diademate coronaris ſpineo? ità nimirùm permittis corpus tuum [amore meî] crudeliſsimè torquêri, ut infinitas Patri tuo cæleſti illatas probroſis corporis mei voluptatibus injurias, cum fænore compenſes.

Væ mihi, O dulciſsime Salvator! ſi tuô edoctus exmplô, voluptuoſum corpus meum non duriter poſthac habuero!

Prô pudor! de leviſsimô capitis dolore graviter conqueror, ubi benedicta tempora tua ſenticoſis conſpicio ſpinis perforata. Omnem corporis moleſtiam, etiam minimam horreſco, & fugio, nec aliud mihi cordi, ac curæ eſt, quam lautè, delicatè, molliterque vitam ducere.

Quan-

Digitized by Google

Quando, ò mi Jesu! corpus meum facinoroſum, amore tui, ſanctô perſequar odio, quod tantopere eſt odibile? Quando ſenſus meos (quibus ſæpiſsimè, enormi tuæ Majeſtatis offensâ, abuſus ſum) debitis caſtigabo, & coercebo pœnis? Neque enim fas eſt ſub ſpinoſo capite membrum eſſe delicatum, carnis deliciis, & voluptatibus indulgens.

IV. MYSTERIUM DOLOROSUM.

Jesus *Crucem Bajulans.*

O Jesu! incredibilem ad innoxium corpus tuum duriſsimè affligendum propenſionem, magis, magiſque oſtentare non ceſſas!

Sanè ponderoſæ cruci ferendæ Te viribus longè imparem eſſe haud ignoras, & nihilominus, fractos, laceroſque, abſque minimo reniſu, humeros lubens ſubmittis.

O Deus, cujus natura bonitas! nihil tuo in me amori arduum, nihil non poſſibile apparet. Inflicta corpori tuo flagellis vulnera ponderoſiſsimæ crucis geſtatione recrudeſcunt omnia: ſudor copioſô permixtus ſanguine undique è corpore tuo defluit; crudelioraque pro me pati ſupplicia ardentiſsimè concupiſcis.

Sententia tua, ô Magiſter cæleſtis! firma ſtat & immobilis *Lucæ* 14. v. 27. *Qui non*

Digitized by Google

non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe Diſcipulus. Et Apoſtolus tuus *Ad Gal. 5. v. 24* pronuntiat: *Qui autem* CHRISTI *ſunt, carnem ſuam crucifixerunt, cum vitiis, & concupiſcentiis.*

Quid igitur de me miſerrimò tandem fiet, ſi crux pœnitentiæ, & afflictationis corporis (quæ omnibus electis tuis ſemper in amoribus extitit) mihi odio eſſe pergat & horrori?

O JESU! ignem tui amoris (quæſo) in corde meo vehementer accende, quo crucem illam Unicè ſalutarem lubenter amplecti, & fideliter tecum bajulare valeam.

V. MYSTERIUM DOLOROSUM.

JESUS *in Cruce mortuus.*

O JESU! præclarum innocuos ſenſus tuos affligendi, comprimendique exemplum (quod mihi præbuiſti hactenùs) è cruce pendens, ac morti proximus, omninò perficis. Et primò quidem acerbiſſimè affligis *viſum* tuum, cruore copiosò è capite ſpinis perforatò in oculos defluente: ſecundò *auditum*, horrendiſſimis in divinam perſonam tuam conjectis contumeliis, ac convitiis: tertiò *Odoratum*, fæculentiſsimis montis *Calvariæ* (occiſo-

rum

rum pecudum receptaculi) exhalationibus: quartò *guſtum*, acetô tibi propinatô: Quintô *tactum*, manuum, pedumque clavis transfixione.

Eheu! quantam hæc tua, O Salvator! ſenſuum afflictatio verecundiam mihi adducit, qui maximô pudore confiteri cogor pravis ſenſuum libidinibus per omnia me obſecutum fuiſſe hactenus; primò, oculos, in pudendas nuditates dirigendô: ſecundó, aures, ſpurcis ſermonibus, & famam aliorum denigrantibus præbendo: tertió, nares, indecentibus, & pretioſis nimiùm odoramentis oblectandô: quartô, palato gratiores, exquiſitaſque cupedias ſtudioſiùs procurandô: quinto denique manus, (in quibus potiſsimùm tactus viget) ab illicitis, nefandiſque contactibus minimé cohibendô.

Verùm, O Clementiſsime Redemptor! oro, obteſtorque Te, corde, quantùm poſſum, contrîto; ut nefarium illum ſenſuum meorum abuſum miſericorditer mihi condonare digneris.

E X-

EXERCITATIO POENITENTIÆ

Exterioris, ſive afflictationis corporis, ac ſenſuum.

CIRCA

V. MYSTERIA GLORIOSA.

I. MYSTERIUM GLORIOSUM.

JESUS *à morte reſurgens.*

O JESU! quàm magnificô hìc ſpontanea innocentiſſimi corporis tui afflictatio præmiô remuneratur? Anima tua, ob *hypoſtaticam* cum divinitate unionem, cæleſti ſemper gloriâ exornata, corpori tuo tumulato vitam reſtituit, quatuor eximiis glorioſorum corporum dotibus ipſum decorans.

Et primô quidem dote ſubtilitatis virtute cujus lapidem pertranſit ſepulchralem, & clauſis januis ad Diſcipulos ingreditur.

Secundò

Digitized by Google

Secundò dote agilitatis, per quam breviſſimò tempore, fulguris inſtar, nunc versùs pias ad ſepulchrum plorantes mulieres; nunc versùs duos in *Emaus* euntes Diſcipulos; nunc versùs Apoſtolos *Jeroſolimis* in unum congregatos ſeſe transfert.

Tertiò, impaſſibilitatis dote, undè *Thomas Apoſtolus* manum ſuam in tuum, ô JESU! latus mittens, ne leviſſimum quidem tibi infert dolorem.

Quartò denique claritatis dote: ſi enim corpus tuum adhuc mortale in monte *Thabor* reſplenduit, *ſicut Sol* (Evangeliſta teſte) quantò majori claritate, jam immortale, & prorſus glorioſum effectum, refulget?

Utinam, ô glorioſiſſime Salvator! tuam corporis afflictationem pro viribus, tuâ gratiâ, imitandô, tantæ participes gloriæ aliquandò reddar?

II. MYSTERIUM GLORIOSUM.

JESUS *in Cælum aſcendens.*

O JESU! Corporis tui, ſenſuumque afflictatio, ſponte à Te, amore noſtri, exercita, magnificè quidem glorioſâ reſurrectione tuâ remunerabatur, aſt multò magnificentiùs tua in Cælum aſcenſione compenſatur, dum ſupremô Cæli empyrei conſcenſo vertice, pedibuſque glorioſis

rioſis ſuper illo ſtans, à beatis omnibus, ceu verus Deus-homo in omnem æternitatem adoraris?

Quandò igitur in Symbolo fidei, *ſedere* diceris *ad dexteram Patris*; vox *ſedêre* haud propriô accipitur ſenſu: ſedêre namque, propriè loquendo, non niſi defatigatis, ægrotantibus, vel dormientibus convenit, in Cælo verò neque defatigationi, neque ægritudini, neque dormitioni locus eſt. Verùm duplici ſedêre in Cælis ratione meritò, etſi impropriè, diceris 1. quia vox ſedêre denotat quietem, quæ in Cælo ſumma eſt, atque æterna. 2. Quia ſedêre eſt judiciariâ fulgentium dignitate, quâ Tu, ô IESU! potiſſimùm fungeris, vivorum, ac mortuorum à Patre judex conſtitutus.

Locum autem (*ad dexteram Patris*) ſenſus non eſt, Patrem cæleſtem manus habere corporeas, cum puriſſimus ſit Spiritus, ſed Te, tamquam unum cum ipſô Deum, eodem frui in Cælo honore, & gloriâ.

O amantiſſime Salvator! meritô afflictationis corporis tui, hoc mihi, quæſo, *gratiæ* impertire, ut corpus meum, amore tui, duriùs hìc tractandô, Cælum tecum conſcendere merear.

III.

III. MYSTERIUM GLORIOSUM.

Spiritus Sanctus ad Apoſtolos miſſus.

O Jesu! ſpontaneâ corporis, ſenſuumque afflictatione Apoſtolis tuis promeritus es miſsionem Spiritûs ſancti, qui ipſos donis cæleſtibus replens, generoſos tui imitatores effecit.

Quare una erat omnium vox cum *Paulo* 2. Cor. 4. v. 10. dicentium: *ſemper mortificationem* Jesu *in corpore noſtrô circumferentes ... v.* 13. *ut & vita* Jesu *manifeſtetur in carne noſtrâ mortali.*

Quin imò Apoſtoli tui potentiſsimâ Spiritus ſancti, ad eos viſibiliter in linguis igneis miſſi, gratiâ confortati, nedum jejuniis, Vigiliis, frigore, æſtu, aliiſque pœnis ſponte ſuſceptis corpus ſuum jugiter divexarunt, ſed inſuper acerbiſsimos cruciatus, ipſamque necem, ab *Evangelicæ* veritatis perſecutoribus illatam, propter Te, ô amabiliſsime Salvator! lætô animô amplexati, & perpeſsi ſunt.

O Jesu! obſecro te, Spiritum ſanctum tuum inviſibiliter in cor meum mittere digneris, qui me [ſicut olim Apoſtolos] debitâ corporis afflictatione, tuî imitatores conſtituat.

IV. MYSTERIUM GLORIOSUM.

JESUS MARIAM *in Cælum aſſumens.*

O JESU! quàm liberaliter in hoc quartô *Myſterio* glorioſô exercitam à *Maria* Matre tua corporis, ſenſuumque afflictationem remuneras?

Enimverò, quòd corpus ſuum, jejuniis, vigiliis, aliiſque Pœnitentiæ operibus jugiter vexavit; quod *oculos* avertens, ne viderent vanitatem, ad Deum in creaturis, contemplandum unicè ſemper direxit; quod *os* non niſi ad Deum laudandum, alioſque in Dei amorem excitandos aperuit; quòd *aures* piis dumtaxat, ſanctiſque ſermonibus præbuit; quod palato cupedias, lautitiamque ciborum numquam indulſit; quod denique manus ab omni indecenti, mollique contactu ſemper continuit; in hujus perfectiſſimæ ſenſuum compreſſionis mercedem, ô JESU! nedum Matris tuæ, vitâ functæ, corpus, à corruptione (quâ cadavera humana, eſcæ vermium, inſici ſolent) integerrimum ſervaſti; verùm etiam Eam cum animâ ac corpore glorioſô Cælum conſcendere feciſti; non Angelorum ope (ſicut olim *Propheta Abacuc*, & *Apoſtolus Philippus* in diſſita loca tranſvecti fuere) neque currus ignei adminiculô, (ſicut *Elias* Propheta à ter-

ra

ra quondam ſublatus fuit) ſed virtute *Agilitatis*, glorioſorum corporum dotis.

O *Maria*! obtine mihi [amabo te] à Filio tuô gratiam efficacem, ad corporis mei afflictationem, ſenſuumque compreſſionem imprimis neceſſariam, ut tecum, ô Cælorum Regina! Cælum aliquando liceat conſcendere.

V. MYSTERIUM GLORIOSUM.

MARIA *in Cælo coronata.*

O JESU! quò ſancti tui, degentes in terra, Corpus ſuum, (ardentiori tui amore) magis affligant, ſenſuſque magis comprimunt, eò excellentiorem à Te in Cælo coronam accipiunt.

Quapropter nullus admiror beatiſſimam ſemper Virginem *Mariam*, Genitricem tuam (quæ, hìc vivens ſanctos omnes ſpontaneâ corporis afflictatione, ſenſuumque compreſſione perquàm longiſſimè ſuperavit) in Cæleſti Palatiô, tamquam Sanctorum omnium Reginam à Te Filio Ejus coronari.

O *Maria*! hâc lætiſſima Regiæ coronationis tuæ feſtivitate, ego, ſervulorum ac devotorum tuorum minimus, ante Thronum tuum Cælicum in genua provolutus, ſuppliciter iterum, iterumque te rogo, & ob-

obteſtor, ut mihi à Filio tuo, Salvatore meô impetres gratiam moriendi, priuſquam moriar. Siquidem probè novi, alterutrum neceſſe eſſe, aut hìc pravis corporis, ſenſuumque propenſionibus, ac cupiditatibus mori, aut poſtea æternâ, horrendiſſimâque animæ, & corporis morte mulctari.

O IESU! qui non vis mortem æternam peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat, nunc vitâ *gratiæ*, & deinde vitâ gloriæ, meritis [quæſo] tuis, & interceſſione Genitricis tuæ, Cælorum Reginæ, mihi miſero peccatori utramque vitam iſtam clementer donare digneris: Amen.

FINIS.

Digitized by Google

ELENCHUS.

I. *Exercitatio Fidei circa* 15. Myſteria &c.
II. *Spei.*
III. *Charitatis in Deum.*
IV. *Charitatis in alios ejuſdem beatitudinis capaces.*
V. *Humilitatis.*
VI. *Paupertatis ſpiritus.*
VII. *Obedientiæ.*
VIII. *Manſuetudinis.*
IX. *Caſtitatis.*
X. *Pœnitentiæ interioris, ſive animi doloris de peccatis.*
XI. *Pœnitentiæ exterioris, ſive afflictationis corporis, & ſenſuum.*

APPROBATIO ORDINIS.

NOs infra-ſcripti ex commiſſione Admodum Reverendi, & Eximii Patris Fr. *Hyacinthi van Huyſen* S. Theologiæ Doctoris, Prioris Antverpienſis, & *Provinciæ Germaniæ inferioris* Vicarii Provincialis revidimus opuſculum (cui Titulus: *Roſetum Jeſu-Marianum*) *ſive exercitatio virtutum Theologicarum, aliarumque circa* 15. *Myſteria* &c. à Reverendo Admodum, & Eximio Patre Fr. *Thomâ Dujardin* S. Theologiæ Lovanienſi Doctore Seniore &c.

Digitized by Google

&c. [poſt majoris molis tractatus Theologicos, adversùs præſertim hujus temporis hæreticos typîs editos] piô ſtylô concinnatum, censèmuſque omninò, illud publicâ luce eſſe digniſſimum, utpote ex cujus lectione haud modici animarum fructus ſpes permagna affulget, potiſſimùm ſi [prout Eximius Auctor Pium Lectorem præfatiunculâ Utiliſſimè monet] *Spiritû orationis, & interiori animi guſtu*, iterùm, iterùmquè legatur, *Actus virtutum Theologicarum, aliarumque eâ, quâ hic methodo proponuntur, fervidè eliciendo.*

Fr. Josephus Gillis, *S. Theologiæ Doctor Ordinis Prædicatorum.*

Gandavi 16. Junii 1725.

Fr. Ægidius Versmissen, *S. Theologiæ Doctor, ejuſdem Ordinis.*

APPROBATIO
Cenſoris Ordinarii.

Hic Libellus (cui Titulus) *Roſetum JESU-Marianum &c.* utiliter imprimetur. Gandavi 16. Junii 1725.

JOANNES VAN DEN HOVE, Canonicus, & Theſaurarius Exemptæ Eccleſiæ Cathedralis S. Bavonis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google